Dissertatio Medica

DE

Morbis Venereis,

Cui adjungitur

Diſſertatio Medico Chirurgica

DE

TUMORIBUS.

Authore Nobili

ANTONIO DEIDIER,

Regis conſiliario & medico, in alma Monſpelienſium medicorum academia chymiae profeſſore regio, & urbis Maſſilienſis medico a conſiliis.

LONDINI:

Typis S. *PALMER,*

Sumptibus G. & J. Jnnys in area occidentali

D. Pauli. M.DCC.XXIV.

ILLUSTRISSIMO ac NOBILISSIMO viro, D. D.

SLOAN, EQUITI,

MEDICORUM LONDINENSIUM praeſidi ſapientiſſimo, Britannicorum exercituum Medico generali expertiſſimo, nec non Regiae ſcientiarum academiae ſocio digniſſimo, *&c.*

ANTONIUS DEIDIER,

Regis conſiliarius & medicus, in alma MONSPELIENSIUM medicorum academia chymiae profeſſor regius, nec non urbis Maſſilienſis medicus a conſiliis.
S. P. D.

EQUES NOBILISSIME,

LOCUS ille princeps, quem, ſumma cum laude, in celeberrimo Londinenſium medicorum collegio,

occupas & adimples; regium illud moderamen, in exercenda inter Britannicas copias medicina, tuis curis, tuaeque ſapientiae commiſſum, magni nominis famam faciunt, non in Anglia modo & apud nos, ſed & in univerſo litteratorum orbe, ubi tuam illam inſolitam virtutem, tuamque tum ſcientiae medicae, tum illius uſus abſolutam notitiam commendant. Tanto itaque nomini, tantaeque virtuti geminas diſſertationes medicas offero; quarum prior luis omnis venereae facilius ſanandae una frictionum mercurialium ope, novam & uſu comprobatam methodum tradit; altera vero tumorum naturam curamque exponit. Et haec quidem opuſcula ſpirituum animalium, chymicorumque elementorum maritata hypotheſibus, ante annos aliquot, noſtris in ſcholis

ſcholis dictata explicaveram; nunc autem, facto velut divortio, ab ejuſmodi praejudiciis factus omnino liber, via naturae minus diſſona, morbum quemlibet conor ac mihi videor exponere. Breves iſtos grato animo accipias quaeſo, legaſque tractatus, nullis, ut prius, foetos ſpiritibus, nullis conditos ſalibus; ſicque, ni mea me ſpes decipit, ut magis ſimplices, ita & praxi magis accommodatos. Quo quidem in ſtudio ac labore an quidquam profecerim, penes te peritiſſimum rerum aeſtimatorem, ſupremum eſto judicium. Haec opuſcula ſi fuerint a tanto, tamque aequo probata judice, in lucem edentur, & de oeconomia animali, ac anatomia corporis humani curioſis obſervatis confirmata, mox ſequetur tractatus, quem novae ſubjectum incudi nunc recognoſco ac perpolio.

polio. Dominus de Woolhouſe nobilis Britannus, ophthalmiater percelebris, jam nunc Lutetiae incola, hunc utrumque limandi tractatum anſam praebuit, noſtrum de morbis illis conſilium poſtulando; ille mihi ſaepius litteris teſtatus eſt, non denegaturum te mihi fidem tutelamque perhonorificam; cujus auſpicio in celeberrimam, regiamque illam, quam imprimis illuſtras, ſcientiarum ſocietatem ego ſi accenſear, ſummae id laudi appoſuerim, dum tamen calculo tuo ſapientiſſimo non indignus videar.

DOMINATIONIS *tuae*

addictiſſimus & obſequentiſſimus

Servus

Dabam Monſpelii
die 26. Julii, anno 1723.

DEIDIER.

DISSERTATIO MEDICA

DE

MORBIS VENEREIS.

Exponere naturam & curationem morborum venereorum.

SECT. I. MORBI venerei ſunt illi, qui producuntur vel foventur a viru venereo: virus autem venereum ſemper procedit ab impuro coitu, ſive proxime ſive remote. Morbi qui proxime procedunt ab impuro coitu, ſunt gonorrhaea virulenta, bubones

venerei, venerei cancri, ſarcomata venerea, corona venerea, oſſium exoſtoſes, & ſimilia. Qui non niſi remote procedunt ab impuro coitu, dicuntur quoque venerei, quatenus fiunt a viru venereo, ut in pueris lactantibus, ſordida oris vel mammarum ulcera. Praeterea nullus eſt morbus praeſertim chronicus & diuturnus, qui ab extricato viru venereo foveri non poſſit. Hujuſmodi ſunt dolores rheumatici, podagrici, ſcabies, inflicta quaelibet vulnera, *&c.* hi quoque morbi dicuntur venerei, & omnes generico luis venereae nomine deſignantur.

Sect. II. Eſt enim venerea lues, foeda humorum illuvies ab impuro concubitu. Ex ea ſoboleſcunt externarum & internarum corporis partium vitia, quibus deturpatur cutis, dehoneſtatur humana facies, rauceſcit vox, ſenſus debilitantur; quibus partes molles ulcerantur, & putreſcunt, dura remolleſcunt, & fatiſcunt carie; quibus ſaeviſſimi dolores praeſertim nocturno tempore ingruunt; quibus venuſtus homo fit indecorus, turpis, foetidus. Haec vera eſt nefariae voluptatis crux, & flagellum. *Caveant incauti adoleſcentes, nocet empta dolore voluptas.*

Sect. III. Paucis ab impura copula diebus, plerumque ſe produnt, modo ſeorſim, modo ſimul, gonorrhaea virulenta, ulcera in pudendis, in inguinibus bubones, circa podicem mariſcae, fici; inflammationes infeſtant pudenda, & proſtatas; ulcera praeter pudenda & proſtatas, anum externum & internum infeſtant, & urethrae ductum, ſarcomata pudenda & anum obſident.

Sect. IV. Tacite ſerpit virus venereum, & modo tardius, modo citius tumultuatur, pro varia humorum temperie, pro varia vivendi ratione. Virus tumultuans partes corporis aggreditur, nunc ſingulas, nunc plures, omnes modo; caput, pectus, abdomen, artus, cutim, viſcera, membranas, muſculos, cartilagines, & oſſa. Ex his aliae ſimpliciter obſtruuntur, ulcerantur aliae, carie tentantur, inflammantur, dolent, putreſcunt. Torquetur caput cephalea, hemicrania, epilepſia, & caligant oculi vertigine. Frons turpi diademate cingitur puſtularum & ulcerum. Oſſa cranii etiam & reliqui corporis remolleſcunt, exoſtoſes patiuntur, perforantur carie. Nares exedunt cancri, aures tinnitu & ſurditate, ophthalmia & caecitate oculi laborant. Horrende foetidum

exhalat ſpiritum. Depaſta ulceribus narium & oris cavitas, ulcera uvulam rodentia, & interdum abſumentia. Ulcera rodentia palatum, & aliquando perforantia, pervertunt loquelam & vocem. Si virus ſuas agat tragoedias in pectore, pulmo premetur dyſpnoea, aſthmate, orthopnoea, tabeſcet in phthiſi, in haemophthiſi diſſolvetur; claviculae, ſternum, coſtae, vertebrae dorſi aſperabuntur exoſtoſibus, carie terentur. Abdomen, cum in eo ſeſe virus exerit, multifaria patitur ſymptomata, obſtruuntur virulentis ſordibus hujus muſculi, & contenta viſcera; eaque obſtrui, inflammari, exulcerari arguunt dolores cholici, nephritides, hydrops, dyſenteria, ani fiſtulae, urinae ſanguineae, purulentae vel totaliter ſuppreſſae. In artus quoque ſeſe expandit virus venereum; id experiuntur rheumatici, arthritici, nodoſi. Nullus eſt morbus chronicus, quem non foveat virus hujuſmodi; interdum febres tertianae, quartanae, quintanae, menſtruales, autumnales aut vernales venereae ſunt. Leve vulnus inflictum cuti abit in ulcus foetidum & contumax, dum fovetur ab extricato viru venereo.

SECT.

Sect. V. Venerea lues transfunditur conceptionis tempore in ovum per ſeminalem auram; graviditatis tempore in foetum, per lac uterinum; poſt partum per nutricis infectae lac; ut ex infecta nutrice per lac in puerum ſincerum, ita in ſinceram nutricem ex infecto puero, per ſalivam pueri mammam ſugentis. Et cum virus nutricis ſerpit in alumnum, tranſmiſſum primo dignoſcitur ex virulentis aphthis & ulcuſculis alumni os infeſtantibus; cum vero transfunditur ex alumno in nutricem, virus primo ſe prodit in nutricis mammis.

Sect. VI. Inſidioſum hoc virus eſt, latet interdum abſque noxa ſenſibili per annos integros, per totam vitam; nec ſeſe interdum prodit, niſi poſt ſecundam ac tertiam parentis inquinati generationem. Cum ita vetus factum eſt, tunc pullulant ſtrumae, & elephantiaſis ſeu lepra. Etenim in regionibus, ubi ab exordio facile diſcutitur venerea lues, nulli fere reperiuntur leproſi, nulli fere ſtrumoſi; ubi vero difficile, leprae ac ſtrumae graſſantur, & utrumque arguit ſtrumas & lepram a lue venerea ortum ducere.

Sect. VII. Unde vero tot malorum i-lias ? Annus agebatur a Chriſto nato milleſimus quadringenteſimus nonageſimus tertius, cum dira haec lues in orbem Chriſtianum pervenit & ſaevire coepit, ſcilicet Neapolim obſidente Carolo VIII. Gallorum rege. Tunc ex inſignis cujuſdam ſcorti dira impuritate haec libidinis labes in Gallorum exercitum irrepſit. Hinc Galli, qui nondum morbum hunc noverant, merito Neapolitanum ; Neapolitani vero, qui illum a Gallorum exercitu acceperant, Gallicum appellarunt. Veriſimile interim videtur, morbum hunc Hiſpanos ex India occidentali in Europam advexiſſe, caeteriſque nationibus in obſidione memorata communicaſſe. Apud Indos occidentales perpetuo viget hic affectus, ſummaque percipitur ad contrahendum hunc morbum popularium proclivitas. Eundem tamen aſſerunt hunc affectum eſſe, ac priſcorum elephantiaſim, nec ignotum fuiſſe Hippocrati, Avicennae, ac Moiſi, a quibus deſcriptus eſſe videtur. Ut ut ſit, certum eſt graſſantem continenter contagioſam iſtam luem Europaeas inquinaſſe plagas, nimirum ſaeculo decimo quinto, & decimo ſexto ; ſique pari atrocitate

ac

ac celeritate jam graſſaretur, aut niſi certis, ut nunc fit, medicaminibus profligaretur, actum eſſet intra pauca ſaecula de genere humano, vel ſaltem impares forent homines his rebus gerendis, quibus naturaliter continetur humana ſanitas. Dubium an mutato ſolo patrio, plantarum inſtar, mitigata ſit, aut marceſcat. Hoc certum eſt, eam in dies magis ac magis elangueſcere in Europaeo ſolo. Recenter ad noſtros tractus ſive advecta, ſive nata, ſi quem aggrediebatur, contaminata mox tota ſanguinis maſſa, diris ſymptomatibus miſere cruciabat. A quinquaginta retro annis gonorrhaeae virulentae ſpecie ſe primum prodidit. Idem moris jam nunc eſt. Hinc luis indicium, ſi virus non per gonorrhaeam effluxerit, hinc mox ſanguinis labes & corruptela. Ex adverſo, curata probe gonorrhaea, raro ſequitur humorum infectio; curatis bubonibus, frequentius; cancris & ſarcomatis, ſemper.

Sect. VIII. Quaenam ſit ea humorum infectio, quae veneream luem conſtituit, ambigitur apud authores. Alii confugiunt ad acidum corroſivum; nos autem ad vermes. Qui priorem ſententiam tuentur, his potiſſimum

ſimum ſuffulciuntur argumentis: virus venereum, aiunt, humores coagulat, ſolidaſque partes rodit, eo prope modo, quo ſpiritus nitri ac vitrioli, quo aqua regia, ſanguinem coagulant, cum in ſectam viventis canis venam injiciuntur, & erodunt partes ſolidas, ſi exterius applicentur. Similiter, pergunt illi, ideo virus venereum gonorrhaeam, cancros, & ſarcomata parit, quatenus ſolidas, quas aggreditur, partes erodit. Bubones vero in inguinibus, dolores in toto genere muſculoſo, exoſtoſes vel caries, & ſimilia parit, quatenus ſanguinem & lympham coagulat. Ergo, concludunt illi, ſunt in ejuſmodi viru venereo ſalia acida fixa corroſiva.

Sect. IX. Sed ſi virus illud eſſet indolis hujuſmodi, id ſtatim ab impuro coitu, vel coagularet humores, vel partes ſolidas tactu ſuo roderet, exulceraretque. Nullum eſt acidum fixum corroſivum, quod exterius applicatum, vel intra ſanguinem injectum, non illico vires ſuas exerat. Sed virus venereum non ſtatim ab impuro coitu gonorrhaeam, cancros, ſarcomata, bubones producit, ſed paucis diebus elapſis. Dices forſan virus illud hujus eſſe indolis, ut par-

tibus

tibus ſulphureis, quibus ſanguis ſcatet, facili negotio implicetur, quod dein ad libitum extricari contendes. Eſto, ſed quorſum poterit virus hoc in ſanguinem raptum tamdiu, ut interdum fit, reſiſtere illibatum naturali ſanguinis fermentationi, & febribus diverſi generis? nonne rami ſulphurum perpetuo exſolvuntur? ramis illis explicatis, nonne remanerent extricatae partes acidae? extricatae vero & exſolutae, nonne cum ſalibus alkalinis fermenteſcerent, nonne formam ſuam mutarent, amitterent & deſtruerentur? Sed ſupponitur acidum illud venereum intricari primum ſulphurum ramis, nec prius extricari ab iis, quam cum ſe prodit ipſa lues; tunc certa quaedam fermentatio, certa quaedam humorum diatheſis requiruntur. Haec ſacra ſupereſt anchora, qua ſemel a ſulphurum compedibus liberati ſales, nunquam amplius iiſdem compedibus poſſint irretiri. Verum quo pacto poterit virus adeo multiplicari, ut, quod vix ab initio milleſimam unius grani partem aequaverit, jam creſcat in immenſum? quo pacto fiet, ut quod uni dumtaxat humani corporis parti primum adhaeſerit, jam ſingulos humores

 coagulet,

coagulet, una cum ſanguine per vaſa rapiatur, idque liberum nec amplius ſulphurum vinculis irretiatur, dein plurimas erodat partes intactis aliis, modo unicam dumtaxat partem aggrediatur? Num poterunt ſalia corroſiva, eaque acida de novo produci, generari, multiplicari intra textum ſanguinis alkalini, alkalinaeque lymphae? Hoc ſi verum eſſet, totus venerea lue inquinatus ſanguis, & univerſa lympha mutarentur ex alkalina natura in acidam, quod experientiae repugnat. Qui haec ſupponunt, ludos faciunt, nec ipſorum ſententia facit ſatis.

Sect. X. Noſtram ergo perpendamus, quae multo videtur & expeditior & probabilior, a viventibus vermiculis venerei morbi. Omne animal ex ovo, ergo & vermes. Horum ova ſuos non profundunt vermes, niſi prius convenienti calore fuerint, ut ita dicam, incubata; incubantur autem in ſemine putreſcente.

Sect. XI. Venerea vermium ovula ſemper in ſemine inquinato ſunt, cum ſemper lues venerea ortum ducat ab impuro coitu. Semen inquinatum putreſcere in proſtibulis, probat eorum intenſus hircinus odor.

odor. In catamitis magis etiam putreſcit, ob alvinas foeces. Cum putreſcit, hoc fit ex nativo calore partium, in quas emiſſum eſt, & ex ea putrefactione, ut ex alia quavis foventur & excluduntur ovula. Hinc vermes venerei. Statuendum ergo eſt oriri luem veneream ex inquinato ſemine, quod, dum putreſcit, oportunum fit venereorum ovorum incubationi. Excluſi vermes alios alioſque procreant, & hinc propagatio veneni. Non potuiſſet venerea lues ex India occidentali in Europam transferri, ac dein ex ſola unius ſcorti impuritate cito diffundi in Gallorum & Hiſpanorum exercitus, niſi per venereos vermes numeroſam ovorum faeturam continenter effundentes multiplicantur in immenſum, ex ſola inquinatorum ſeminum corruptione.

Sect. XII. Qui veneream luem oriri putant ex priſcorum elephantiaſi, hi protinus venereos vermes admittant neceſſum eſt; namque omnis antiquorum lepra ortum habuit a viventibus vermiculis, ut abunde probavit R. P. D. Auguſtinus Calmet, Benedictinus, diſſertatione de lepra, initio ſui Commentarii litteralis in

Levit. nec potuit inveterata lues venerea viciſſim faceſcere in elephantiaſim, verminoſum morbum, niſi & ipſa verminoſa foret.

Sect. XIII. Inſuper quo pacto fieret, ut jam virus venereum minori atrocitate atque celeritate in Europa graſſaretur, ut ſupra relatum, niſi verminoſa haec proles jam languore & marcore confecta aliquatenus immutata fuerit, ſive mutatione ſoli, ſive novis & inaſſuetis variorum vermium copulationibus, ſive remediorum ope ac miniſterio? nonne ſic poſſunt ejuſmodi vermes, qui prius forſan dentibus inſtructi carnes depaſcebantur, nunc mutata priori forma dentibus orbari, & piſcium inſtar humoribus innatare. Qui admirabiles omnium inſectorum metamorphoſes attenderit, hanc olim leproſam, nunc veneream vermium productionem facile concipiet. Vide quo modo plurimi vermes ſenſibiles vertantur in muſcas & papiliones. Nonne igitur inſenſibiles leproſi vermes, olim carnivori potuerunt ſucceſſu temporis commutari in venereos, tenuiores ac debiliores, qui nunc ſolis nutriantur humoribus? Cum non niſi ab impuro

coitu

coitu procedant, primum ſolo ſemine nutriuntur, ſpermatici vocantur, & ideo ſaepius gonorrhaeam, ac teſtium inflationem procreant, nimirum quatenus inſunt ſemini proſtatarum, veſicularum ſeminalium, teſtiumque: qui cum deinceps tranſmittantur e ſemine in ſanguinem, lympham vel lac, & ab iis humoribus nutriantur, tunc mutato nomine vocari poſſunt ſanguinei, lymphatici, lactei; cum certum ſit nullam omnino eſſe corporis partem, quam non inficiat lues venerea, & ad quam venerei vermes per humorum circuitum traduci non poſſint.

Sect. XIV. Vermes venerei ſingulos morbos venereos producunt vel fovent, non mordendo atque rodendo, ſed ſimpliciter obſtruendo. Cum coitus tempore per urethram repunt ad proſtatas, gonorrhaeam pariunt; cum genitalibus adhaerent, cancros venereos, & venerea ſarcomata: cum circulationis ope deferuntur in inguina, bubones; cum ſerpſerunt ad podicem, ficos & mariſcas; & ſic de caeteris. Singula haec non ſubito contingunt, ſed paucis dumtaxat ab impuro coitu diebus. Oportet ut aliquandiu nidulati fuerint

rint venerei vermes in ſedibus occupatis, ut copioſa generatione ibi ſint multiplicati, & ex eorum congeſtione pariant in vaſculis obſtructiones, quibus ipſa diſrumpantur vaſcula, effluant humores, & effuſi computreſcant. Tria haec ex obſtructione ſola, abſque ulla ſalis acceſſione, facile deduci poſſunt; prout demonſtratum eſt in diſſertatione noſtra de tumoribus, edita Monſpelii ann. 1715.

Sect. XV. Foecundandis vermium venereorum ovulis, ipſiſque vermibus fovendis, modo magis, modo minus commoda eſt adultorum conſtitutio, modo penitus adverſa, & hinc maturius aut tardius ſeſe prodit venerea lues. Sique pauciores admiſſi fuerint vermes, tunc vel penitus extinguentur, vel non niſi ad ſequentes generationes lues ſuſcitabitur. Ova memorata facilius excluduntur, & vermes blandius nutriuntur in virili ſemine, & lacte muliebri; blandius quoque in foetu ac puero recenter inquinato; nimirum quod in his dulciuſculi ac tepidiuſculi ſint humores. E contra fervidiores ſunt & acriores in adultis. Hinc vides cur gonorrhaea virulenta, proſtatarum inflammatio, ac dein

exulceratio, frequentiora ſint quam alii morbi venerei. Vides cur gonorrhacae fortiori ſuperveniant interdum teſtium tumores. Cur pater viru venereo adhuc ſopito inquinatus prolem pariat extricato viru corruptam. Cur in nutricibus, pueris lactantibus citius & validius evolvatur virus, quam in adultis. Ad haec, cur in adultiori aetate venerei morbi ſaepius membranas, cartilagines, & oſſa, quam carnoſas partes aggrediatur. Venerei vermes raro admodum ſanguinei ſunt, ſaepe lymphatici, frequentiſſime ſpermatici vel lactei.

Sect. XVI. Sopita lues tunc ſuſcitatur, cum ova vermium venereorum nativo partium calore quaſi incubata novos effundunt vermes. Hi convenienti pabulo enutriti rurſus copulantur, & nova profundunt ova faecundata. Sic infenſi hoſpites ulterius & ulterius propagati colonias mittunt in ſedes varias pro varia partium diſpoſitione. Sic modo caput ſolum, modo ſoli artus, interdum muſculi, nonnunquam oſſa infarciuntur venereis vermibus abſque ulla totius ſanguinis inquinatione. Namque ſanguinem ſuis refertum vermibus ſanguineis,

neis, probe conſtitui, plurimis conſtat obſervationibus. Verno tempore plura excluduntur ova vermium ob intenſiorem ſanguinis teporem. Hinc & numeroſior vermium propago; ſed & hinc omnes venerei morbi recrudeſcunt verno tempore. Ideo autem dolores venerei nocte recrudeſcunt, quia pacato humorum circuitu vermes validius agitantur in propriis liquidis; ſimili prorſus ratione doloribus venereis multo magis torquentur, qui ſunt lue inquinati, dum vitam ducunt otioſam, quam dum validis exercitiis agitantur.

Sect. XVII. Praeterea cur, extricata ſemel lue venerea, inflictum in homine alioquin ſano, vulnus externum, quantumvis leve, ſordidum redditur, inflammatur, cancroſum fit? an tunc recurres ad ſalia corroſiva, ſano ſanguini permixta? Nonne expeditius & probabilius erit aſſerere venereos vermes qui prius libere per lymphae lacus ferebatur, tunc ſoluta vaſorum unitate, in vulnere cumulari, ibidem copulari, ipſorum ova dulci ſuppurationis calore foveri, excludi? ſic ſane coacervati vermes venerei obſtructiones pariunt foventque, ſic impediunt ſolutae partis unionem. Idem

prorſus eſto de quolibet alio morbo, qui producitur vel fovetur a viru venereo.

Sect. XVIII. Poſtremo ad curandos ejuſmodi morbos non ſatis ſunt alkalina acidum deſtruentia, vel ſudorifica, vel amara, quae vermes enecant, expelluntque. Hujuſmodi auxiliis mitigantur quidem foeda luis ſymptomata, ſed dein ex intactis ovis nova vermium venereorum cohors ſoboleſcit, & recrudeſcit malum. Mercurius vero vermiculos venereos eorumque ova penitus diſcindit, diſſolvitque. Modo rite uſurpetur, is omne inſectorum genus perimit; igitur & vermiculos venereos. Hoc eſt potiſſimum argumentum, quo maxime utitur conjectura vermium venereorum. Conjecturam hanc ulterius comprobare placet examine ipſius mercurii.

Sect. XIX. Mercurius crudus vel fluens, alio nomine hydrargyrum, id eſt, argentum aqueum, & argentum vivum; definiri poteſt, *minerale corpus ſumme liquidum ac maxime ponderoſum, cujus partes integrantes etiam minimae conſtanter rotundae ſunt ac perpolitae.* Dico primo mercurium eſſe corpus minerale, cum ex omnibus ferme mineris praeſertim in Hungaria & in Hiſpa-

nia eruatur. Per id convenit cum omnibus aliis corporibus, ſive liquidis, ſive ſolidis, quae mineralia vocantur, prout e mineris fluunt vel educuntur. Dico ſecundo minerale illud ſumme liquidum eſſe, ut intelligatur hydrargyrum, licet planetae nomine inſignitum, ſicut caetera metalla, nequaquam metallum eſſe, nec ſemimetallum, quidquid afferant nonnulli. Omne ſiquidem metallum ſolidum eſt, fuſile & malleo ductile, ſecus vero mercurius. Is ita eſt natura ſua liquidus, ut quamquam expoſitus aeri frigidiſſimo, nunquam concreſcat, & quamquam aliorum corporum additione quocumque modo ſolideſcat, dehinc ab iis ſolutis nativam ſuam recipit liquiditatem. Dico tertio liquidum illud eſſe maxime ponderoſum, ut conſtituatur alia mercurii differentia. Nullum enim, quod ſciam, reperitur in rerum natura corpus naturaliter liquidum, quod accedat ad mercurii pondus, & ipſe mercurius magis accedit ad pondus auri, quam ullum metallum. Dico quarto partes illius integrantes rotundas eſſe ac perpolitas, quod ex cunctis hydrargyri proprietatibus manifeſtum fit, ac praeſertim ex ſpecifica illius gravitate ac volatilitate. Ex

vo-

volatilitate, quod fere ſubito diſſletur igne, ac in auras abeat. Ex gravitate, quod ejuſdem materiae corpora eo graviora ſint, quo magis ſunt compacta & exquiſitius rotunda. Superficies ſphaerica eſt omnium ſuperficierum aequalium capaciſſima. Minimae ſunt rotundae illae mercurii moleculae, quia facile ignea vi diſſipabiles & compactiores, quia ponderoſae; liquidae vero quod rotundae, perpolitae, ac minutiſſimae facili negotio ex impulſu aethereae materiae labantur inter ſe, verſentur, agitentur. Quo pacto fiet, inquies, ut tota mercurii maſſa adeo gravis ſit, cum tot interſtitia inter globuloſas ejus particulas diſſecta tantopere videantur ipſius gravitatem minuere? Adeo gravis eſt maſſa illa, quia ſingulae ipſius particulae ſunt compactiſſimae. En exemplum: Duplex eſto maſſa aequalis molis plumbea et lignea, integrum maneat lignum, plumbum vero fundatur in granula: hoc poſito, nonne fluxilis quodammodo eſt illorum granulorum aggeries, nonne ponderoſior data maſſa lignea? Unde vero, niſi quod multo poroſius lignum ſit, & granula illa plumbea multo ſint compactiora. Nec obſtat nativa illa mercurii gravitas, quin

rotundae illius moleculae facillimo negotio ignea vi difflentur ac diſſipentur. Facilius motum concipiunt graviora corpora, & conceptum facilius retinent. Explodantur ſimul tormento bellico globus ferreus, globuſque ligneus, & experieris quinam longius feretur. Idem experieris, ſi totis viribus projeceris globum ferreum & globum ſuberinum, nec eſt quod hic cauſam phyſicam referamus.

Sect. XX. Mobiliora corpora motum ſuſcipiunt ratione molis, communicant vero ratione ſuperficiei. Moles autem propria ſingularum mercurii particularum magna eſt, & ſuperficies exigua; ergo magnam illa motus quantitatem ſuſcipiunt, conceptum vero conſervant diutius. Moles propria magna eſt, utpote ſolidior & ponderoſior: ſuperficies exigua, ob figuram rotundam.

Sect. XXI. Mercurius diſſolvit aurum ſolidiſſimum, aliaque metalla, quod fluitantes exiguiſſimi illius globuli intra poros metallicos illabuntur, & occurſantia pororum latera, tum pernicitate motus, tum ingenita ſoliditate diducunt atque diffringunt. Idem praeſtant mercuriales illi globuli, dum uberiori copia collecti rapidius fluunt per

ex-

exiguiſſima viventium animalium vaſa, quae diducuntur adeo, ut diffringantur.

Sect. XXII. Cave fidem adhibeas empyricis, qui ſe jactitant luem veneream perfecte curaturos, nunc AEthiope minerali, vel aquila alba, aut panacea mercuriali, nunc praecipitatis mercurialibus, vel turpetho minerali, interdum ſolubili, ut vocant, mercurio in ptiſanis ſudorificis exſoluto. Chymica haec fixati mercurii praeparata mitigant quidem ac ſopiunt luis venereae ſymptomata, ſed haec poſtea multo validius recrudeſcunt. Quamobrem? an quia fixatus mercurius extraneo ſale refertus nequit omnibus venereis ſalibus uniri? Sed in hujuſmodi praeparatis non ſalia penetrant mercurium, ſed mercurius ſalia. Statuatur ergo globulos mercuriales ſalibus infixos nativam depoſuiſſe liquiditatem, cujus dumtaxat ratione venereos vermes & vermium ova penetrare poſſunt atque deſtruere. Oſtendit experientia, rerum magiſtra, inſecta cuncta, eorumque ova ex ſolo mercurii affrictu perire. Simplici unguento mercuriali devaſtant mulierculae propagines pediculorum, pulicum, cimicum; praeſertim verno tempore, quo maxime illorum animal-

malculorum ova excluduntur. Quid ergo vetabit' aſſerere, virus venereum eſſe vermiculorum illuviem, quorum ova foecundata verno potiſſimum tempore excluduntur, & numeroſiſſimam foeturam emittunt? Hic ſubditur formula mercurialis hujus unguenti, quo vermes venerei perimuntur, & diffringuntur eorum ova.

℞ *Mercurii crudi rite defaecati, & cum ſ. q. therebentinae extincti partem unam; axungiae ſuillae non ſalitae partes duas, agitentur diu in mortario uſque ad omnimodam mercurii extinctionem; fiat ex arte unguentum Neapolitanum uſui reſervandum.*

Sect. XXIII. Continuata piſtilli agitatione globuli mercuriales per ramos ſulphurum therebentinae & axungiae ſenſim diſperguntur, ut tandem mercurius viſum effugiat; eoque ſigno dignoſces unguentum illud perfectum eſſe. In eo tamen remanet nativa globulorum mercurialium liquiditas, pondusſque nativum, ita ut ſi diu ſervetur unguentum in loco calido, mercurius

curius reperietur in fundo vaſis congeuſſt. Ideoque ſervetur in loco frigido, nec niſi recenter paratum uſurpetur.

Sect. XXIV. Conſueverant majores noſtri, ut virus venereum ab infecto corpore prorſus eliminarent, liberales primum movere ſudores per diuturnum ſudorificorum uſum, unde mitigabantur ſymptomata, ſed non tollebatur malum; dehinc movere copioſam ſalivationem per affrictum unguenti mercurialis, ut craſſiores, quae tranſpirationem eluſerant, mali reliquiae per ſalivationem ejicerentur. Sed ita extabeſcebant ea praxi corpora, & vires ita frangebantur, ut prius interdum tolleretur homo, quam malum. Dehinc medici facti ſunt ex aegrotantium periculo cautiores, abrogarunt ſudorifica, humectantia ſubſtituerunt & copioſiorem induxerunt ſalivationem. AEgrotantem igitur humectarunt balneis, juſculis refrigerantibus, aut ſero lactis, hocque pacto praeparatum inunxere mercurio, ſed bifariam. Alii ſingulis vicibus a planta pedis ad capillorum radices, exceptis dumtaxat anterioribus abdominis & pectoris partibus. Alii (& ſi ſucceſſere prioribus) adminiſtrarunt aliter frictiones, nimirum

prima

prima vice a plantis ad genua, poſtridie a plantis ad coxendicem, & ſic deinceps, facto ſemper recurſu a plantis ad partem ſuperiorem, ac ſuperiorem. Sed tamen perſpectum eſt, ſalivationem ea methodo prolici nimis praecipitem, quae ſaepe curationem impediret. Adeoque inductus fuit multo tutior frictionis modus, quo proſcribitur, ut ſingulae corporis partes unguento Neapolitano perfricentur, nimirum primo die ſoli pedes; poſtero ſola tibia, ſed non amotis linteis, quibus pedes fuerant poſt frictionem involuti; die tertio ſola crura, immotis quoque pedum ac tibiarum linteis; & ſic deinceps, remanentibus ſemper linteis, donec morbus fuerit omnino debellatus.

Sect. XXV. Dum celebrantur frictiones, excitantur plerumque ſenſibiles evacuationes per anum, per urinas, per ſudores, & ſaepius per ſalivationem. Laudant inſolitas hujuſmodi evacuationes, qui luem veneream arbitrantur oriri ex acidis ſalibus. Eo enim ducit eorum ſententia, ut virus venereum foras per evacuationes eliminetur. Id autem tuncpotiſſimum eliminari contendunt, cum foetidiores ac copioſiores ſuccedunt

ſa-

ſalivationes & evacuationes aliae. Tunc & autumant fieri, ut virus infixum mercurio ſublimetur, potentiuſque corroſivum conſtituat, ut ex ſubortis in ore ulceribus percipitur. Sed haec penitus adverſantur diſpoſitionibus vaſorum corporis humani, experimentis chymicis, & iis quae in aegris obſervantur. Primo, quia non ſublimatur chymice una cum acido mercurius, niſi ſubjecto igne. Atqui non ſubjicitur in humano corpore ignis ſeu calor, ſed is circumfundit acceptum in vaſis mercurium. Ad hoc, factum eſt partes corporis ſuperiores eſſe inferioribus frigidiores. Secundo, ſi prolecta ex frictionibus mercurialibus ſaliva corroſiva foret, quidquid ei occurreret, roderetur; os, lingua, oeſophagus, ſtomachus. Roditur enim quidquid ab hauſto ſublimato corroſivo tangitur. Tertio, venerea, quae jam os infectabant, ulcera, ex ſuborta ſalivatione mundantur & curantur, cum e contra deberent exaſperari, ſi ſaliva foret corroſiva. Quarto, certum eſt eos, qui frictiones aegrotantibus adminiſtrant, quantavis ſanitate gaudeant, interdum pati ſalivationes aeque foetidas ac aegrotantes ipſos. Unde vero eorum ſaliva fieret corroſiva? Unde

 fieret

fieret, ut ſublimaretur in iis mercurius? Cum abſint ab iis ſales venerei. Quinto, cum diu reſidet in vaſe aegrotorum mercurio inunctorum ſaliva, cum urina, caeteraque ipſorum excrementa diu reſident, tunc nativus & liquidus ſubſidet mercurius. E contra, ſi jam ſales acidi globulos ejus in humano corpore transfixiſſent; non niſi chymica diſtillatione ab invicem ſeparari poſſent. Haec autem inutilis eſt diſtillatio, cum enim egeruntur faeces ex foricis, in quas conjunctae ſunt mercurio inunctorum ſordes, reperitur in fundo nativus mercurius & liquidus. Sexto, ſi per ſalivationem a mercurio excitatam educeretur e corpore virus venereum, ſequeretur, fore, ut qui copioſius ſalivant, ſanarentur tutius, quam qui nullo pacto ex moderatis frictionibus ſalivant; atqui apud nos experientia pluries compertum eſt, eos qui ptiſanis antivenereis, aut alio quovis mercuriali praeparato, vel etiam cinnabarinis ſuffumigationibus uſi fuerant, ut ſalivatio proliceretur, non ſemel fuiſſe paulo poſt lue denuo tentatos. Cum e contra ii, quibus abſque ſalivatione adminiſtratae fuerunt frictiones, prorſus immunes remanſerint.

Sect.

Sect. XXVI. Cum procuratur ſalivatio, unde putas progigni oris inflammationes & ulcera, gingivarum tumores ac haemorrhagias; dentes vacillare, decidere, tumefieri linguam, balbutire? e viru venereo? neutiquam, ſed ex copioſiori ſaliva, quae globulis mercurialibus onuſta, dilatat, effringit vaſculorum ſalivalium oſcula, nimirum ex hujuſmodi globulorum duritie, dum confertim profunduntur. Si effundatur ſaliva haec intra partium textus, tumores pariet, inflammationes, vaſculorum diſruptiones, excoriationes, carnium ulcera, puris ac tabi fluorem. Item laxabuntur gingivae ac dentes, inflabitur lingua, ad loquelam & ad deglutitionem inepta fiet. Quid inſuper? ex copioſiori ſaliva tabeſcit aeger; ex pure ac ſanie foetet os ac ſpiritus, ſaliva inficitur, & quod pejus omnium eſt, niſi putens haec ſalivatio intermiſſis frictionibus ſiſtatur, promptiſque remediis ori ſuccurratur, mox ſuccedit gangraena. Omnino foeda mercurialis ſalivatio aegri tormentum eſt, & interdum peſtis.

Sect. XXVII. Nec tamen diffitemur mitigari luem, imminuique ſalivationis aut ſudorificorum ope, tum & violentis emeticis

mercurialibus ac purgationibus; quippe quod non poſſunt vacuari vaſa, quin ſimul vermium venereorum portio educatur. Sed non hinc tuto ac radicitus morbus evellitur. Evellitur autem, ſi ſic adminiſtrentur frictiones, ut, quantum fieri poteſt, vitetur omnis ſenſibilis evacuatio. Itaque minus frequentes ſunto frictiones, ut in reconditiores corporis latebras minutiſſimi mercuriales globuli ſenſim irrepant, ibique confodiant latentem hoſtem; vermes venereos dico, qui ubicumque delitescant, ſunt una cum cunctis ſuis ovulis a particulis mercurialibus diſcerpendi.

Sect. XXVIII. Unguentum Neapolitanum vulneribus & ulceribus venereis applicatum, ſolo ſolutae partis calore, cito permiſcetur humoribus, & cum ſanguine circulatur. Saepius obſervavimus luem veneream univerſos homines inficientem, ex repetita hujus unguenti vulneribus applicatione, radicitus fuiſſe ſanatam. Non recipiuntur in noſocomium noſtrum, qui lue venerea infecti ſunt; recipiuntur vulnerati. Sed latens virus ſi quod ſit, ſe prodit per vulnera. Cum vero ita languet aeger, ut dimitti non poſſit, tunc curamus vulnus, & aegrum ſolo unguento mercuriali vulneri ap-

applicato, idque praeter ullam ſenſibilem evacuationem; idem praeſtamus, ut curentur bubones venerei, venerei cancri, ſarcomata venerea, corona venerea, oſſium exoſtoſes, & ſimilia. Cum vero non afficitur cutis externa, tunc oportet externas corporis partes unguento illo leniter confricari, nempe ut poſſit liquidus mercurius cutem ſubjectaque vaſa penetrare, humoribus permiſceri, viruſque venereum debellare. Satis ad eam curationem eſt, ut mercurius ſanguini & humoribus per frictiones illapſus, diutius circulationis beneficio perluſtret vaſa, vaſculaque corporis tenuiora, eoque pacto virus omne per corpus diffuſum perimat. Perimit autem, utpote qui globulis ſuis ſumma tenuitate, liquiditate ac ſoliditate praeditis, vermiculos venereos eorumque ovula intime penetrat, dilacerat, diſcerpit, diſſipat.

Sect. XXIX. Frictiones mercuriales praeſcribantur in omni morbo venereo, tum in principio, tum in augmento, ſtatu ac declinatione. Non torqueantur aegri copioſis vacuationibus, laborioſis, periculoſis, certoque ſanabis, quatenus ſines diu mercurium revolvi per ſanguinem ſine inſenſibili ejus al-

teratione. Totum curationis opus abſolves, aegros in linteis mercurio inunctis retinendo, nempe donec virus fuerit penitus profligatum. Profligatum vero dignoſcitur, cum debellata omnino ſunt venerea, cum adſunt, ſymptomata. Ea plerumque adſunt; verum ſi tum abſuerint, aeger tamen non minus quam per 25 aut 30 dies in linteis inunctis retinendus. Cum non urgent ſymptomata, tum indiſcriminatim totum corpus, ſalvis tamen capite, alvo, & pectore, mercurio perfricandum; imo & caput ipſum, claviculae, ſternum & coſtae, ſi exoſtoſes inibi percipiantur; & abdomen, ſi tumoribus afficiatur. Sed ut diu retineantur lintea, ſedulo vitandae ſunt ſenſibiles vacuationes, niſi ſaltem medendum potius ſit pertinaci aegrotantis opinioni, quam morbo; quo in caſu frequentiores adminiſtrari poterunt frictiones, quae tamen ſiſtendae paulo poſtquam evacuationes ſubortae fuerint. Tum & renovandae dein frictiones, cum debellata prorſus non ſunt ſymptomata.

Sect. XXX. Therapeiam morborum venereorum, ſuperius traditam, confirmare placet ſequentibus obſervationibus; in quarum prima

prima oſtenditur, curari luem veneream repetita dumtaxat unguenti mercurialis vulneribus applicatione. In ſecunda probatur ſalivationem interdum infeſtam eſſe. In tertia medium abdomen fuerat enſe trajectum, & colon transfixum. Laborabat vulneratus gonorrhea recenti, qua teſtes intumuerant. In quarta exoſtoſes erant in capite, in vertebris, in claviculis etiam diſruptis. In quinta ulcus erat in collo veſicae, cum febre lenta, & maraſmo. Priores quatuor infirmi ſola frictione mercuriali, abſque ſalivatione, curati; curatus & quintus, ſed quia ipſi mens fuerat praejudicio ſalivationis vitiata, procurata illi ſalivatio, hoc in caſu, medela fuit adhibita & corpori & menti.

OBSERVATIO I.

ANNO 1712. miles quidam praeſidiarius, annorum circiter 25. craſſus ac robuſtus, proſpera utens valetudine, ſibi per incuriam infixit in medio dextrae manus digito, acutum ligni fruſtum, dum lignaretur in ſilva. Magnopere intumuit digitus & manus tota, in noſocomium ut cura-

curaretur admiſſus eſt. D. Lapeyronie chyrurgus peritiſſimus digitum per longitudinem incidit, perrexitque ad manus palmam, immiſit vulneri oleum therebentinae calidum; cumque diutius ſuppuratio perſeveraret, manum totam aegrotantis ſaepius immerſit in excalefactis aquis bellilucanis; ſed fruſtra fuerunt haec, aliaque remedia. Cancroſum vulnus factum eſt, manus pluribus fuit fiſtulis pertuſa intus & extra. Poſt menſem febris lenta atque maraſmus. Suſpicatus ſum luem veneream, mileſque tandem faſſus eſt, ſe quatuor ante annis cancro venereo laboraſſe, quem probe curatum cenſuerat; manus leviter fuit unguento mercuriali quotidie illita. Prima digiti phalanx eroſa carie cecidit, ſecunda ſenſim ad os metacarpii accedit, eique coaluit; fiſtulae ſuppuratae ſunt, ulcera cicatrice obducta, lenta febris evanuit, aeger pinguis & ſanus factus eſt, experſque fuit per totam curationem ſalivatione & alvi fluxu. A noſocomio poſt duos menſes dimiſſus eſt, moxque cum legione ſua Monſpelio profectus. Is duobus ferme ab hinc menſibus tranſiens, cum ſua legione, per eamdem urbem

robuſtus

robuſtus ac nitidus me ſalutavit, mihique de ſalutifero beneficio gratias egit.

OBSERVATIO II.

DIE decimo menſis Maii labentis anni 1716. ſe ſe contulerat in diverſorium Monſpelienſe, mercator Hybernus aegrotans, aetatis circiter annorum 36. Ab eo advocatus, vidi primo ulcus cancroſum atra obductum cruſta, alam dextram ejus naſi, & partem labri ſuperioris occupans. Exciderant naſi cartilagines, extremitates vomeris, & nonnullae laminarum oſſearum partes. Ita pars naſi media ſubſederat, ut hinc apparuerit quaedam cicatricis irregularis ſpecies, quaſi naſus fuiſſet tranſverſim caeſus, ac rurſus deinde coaluerit. Ortum duxerat ulcus illud a fundo palati, columellam penitus exederat, ſerpſeratque ſenſim per lacunas faucium; unde cum loquelae difficultas, tum horrenda mephitis. AEger plane tabidus, atroces patiebatur dolores in articulis, in capite, in humeris, brachiis, cruribuſque; ac praeſertim nocturno tempore pluribus laborabat exoſtoſibus, nimirum in parte media & laterali utriuſ-

que humerorum, in parte anteriori tibiae utriuſque, & inſigni in oſſis coronalis medio. Torquebatur dolore, tum noctu, tum quavis temporis mutatione, in infima parte tibiae ſiniſtrae; ubi fuerat jam pridem effracta & obducta callo. De labe venerea nullus dubitavi, interrogatus aeger faſſus eſt, ſe dumtaxat ſemel iniiſſe domicellam, Dublini, ab hinc annis ſex ſeptemve; impurum cognovit coitum, quod pauciſſimis poſt diebus apparuerint in glande exigui quidam cancri duo vel tres, paulo ardentior urina effluxerit, imo & puris guttae. gonorrhaeam arbitratus, ſumpſit pilulas mercuriales & ptiſanas ſudorificas, ſed fruſtra; mox enim invaſerunt dolores, & exoſtoſes emicuerunt. Ventum igitur ad luis venereae curationem, juxta ſolitum in Hybernia curandi modum. Excitati ſudores initio, deinde ſalivationes ter repetitae, ſemel & iterum frictionibus unguenti mercurialis, cujus duae tantum unciae fuerant adhibitae; tunc enim ſe prodidit ulcus palati. Quo ulcus profligaretur, praeſcriptum fuerat, ut per aliquot dies ore cinnabarinum fumum exciperet, unde tertia ſalivatio procurata. Haec ita fuit contumax, ut per dies circiter

citer 20 ſine intermiſſione perrexerit, nec ulcus evanuit, ut ſperabatur, ſed & a palato per lacunas faucium ſerpſit ad naſum; quem, ut ante relatum eſt, ita dirum fecit. Hinc ergo conſilium praxim Monſpelienſium experiundi.

Singulis rite perſpectis, decretum eſt, ut aeger humectaretur balneis domeſticis & lactis uſu, & ita frictiones mercuriales adminiſtrarentur, ut vitaretur ſalivatio, & diu remaneret aeger in linteis inunctis. Craſtina die adductus in domum D. Barancy chyrurgi peritiſſimi, ibi me praeſcribente cuncta diligentiſſime fuerunt adminiſtrata. Die ſubſequenti, poſt primam frictionem, qua inuncti pedes fuerant, unica dumtaxat unguenti mercurialis ſemi uncia, ſalivatio ſuboriri videbatur: intermiſſa per biduum frictio; non exceſſit ſecunda frictio ſemi unciam unguenti, eaque in media utriuſque tibiae parte adhibita eſt; & quia itidem die craſtina ſalivatio ſuboriebatur, ſuppreſſis penitus conſuetis frictionibus, quotidie leviter inungebatur unguento mercuriali memorata naſi & labri cruſta, & linamento obducebatur. Ea quidem mox decidit; ſed totum ulcus naſi & palati non niſi poſt

dies octodecim ſanatum eſt. Partes exoſtoſibus ſuperjectae, fuerunt itidem illitae unguento & linteis obductae diebus ferme ſingulis, ſed non niſi poſt menſes duos ac medium penitus evanuerunt. Cautum fuit a ſudoribus, ab alvi fluxu, a ſalivatione, per totam curationem. AEger toto curationis decurſu potiſſimum lacte paſtus eſt, inter remedia pinguefiebat. Et circa medium Auguſti menſis Monſpelio profectus eſt in Bataviam, perfecte ſanatus ulcere, doloribus, exoſtoſibus.

OBSERVATIO III.

DUCTUS fuerat in officinam D. Peyrat, chyrurgi peritiſſimi, hora fere undecima poſt meridiem, diei 3. Auguſti, anni 1713. adoleſcens Argentoratenſis, annum agens circiter 22. qui proximo urbis vico fuerat gravi vulnere proſtratus. Advocatus, illuc feſtinato me contuli. Adoleſcentem inveni jacentem ſupra latus dextrum, vidi vulnus ſatis exiguum inter coſtarum ſpuriarum penultimam & antepenultimam, a vertebris diſtans digitis quatuor, per quod exibat particula epiploi. Ut is in-

ingenti conatu vomebat, ſuſpicatus ſum pertrajectum enſe diaphragma, partem epiploi adactam fuiſſe in thoracem, ac per vulnus externum exire. Nihil non moverant tirones, abſente magiſtro, ut epiploon intra coſtas compreſſum intromitterent, ſed fruſtra & inſcie. Ego partem ejus exeuntem magis etiam extraxi, filo religavi, & forfice abſcidi. Emplaſtrum diapaſmatis, quod primum ſeſe obtulit, vulneri appoſitum. Interrogavi vulneratum an ſcaeva eſſet, is negavit, dixitque ſe cum viro ſtrenuo ſtrenue depugnaſſe, ac fuiſſe uno ictu proſtratum. Praecepi tironibus, ut eum revolverent, vidique vulnus ingens in hypochondrio dextro, duobus tranſverſis digitis diſtans a coſtis ſpuriis, & ab umbilico digitis ſex. Hinc certior factus ſum, hac vulnus inflictum eſſe, gladiumque trajecto corpore per ſiniſtrum latus erupiſſe. Vulnus hoc peniculo obturavi ſicco, impoſui linamentum, & utrumque vulnus communi faſcia cinxi. Secta vulnerato vena, quamquam is jam multum ſanguinis emiſiſſet. Dehinc vectus eſt in hoſpitium ſuum, ubi vix lecto compoſitus, ſomno quaſi lethargico ſopitus eſt, nec mirum: is enim, ut mox accepi, vi-

num

num copioſe ante certamen hauſerat. Aberat ab urbe D. Peyrat. AEqum non videbatur, tanto cum periculo vulneratum tironibus ejus committere. Advocatus D. Barancy. Ex communi decreto, vena iterum ſecta, & viſum utrique, ut aeger per totam noctem ac deinceps quieſceret immotus ſupra latus dextrum, niſi quidquam infauſti superveniret. Exigua nobis fuit illius ſalutis ſpes. Jam ſe receperat D. Barancy, cum advenit vir nobilis Monſpelienſis ſanguine propinquus vulnerato, cujus precibus adductus ſum, ut ibi pernoctarem. Hora matutina tertia excitavi hominem, caput ei liberius, pulſuſque vegetior fuit. Tertiam imperavi venae ſectionem, vetui ne quidquam cibi caperet, permiſi ſolum aquam ad compeſcendam ſitim. Hora matutina ferme decima aegrum una cum D. Barancy adiimus, quarta venae ſectio decreta eſt, arctiſſimaque diaeta.

Veſpere facto, vulnera ſublato apparatu obſervavimus, occluſum reperimus ſiniſtrum, & filum, quo religatum fuerat exiens epiploon, deciderat. Dextro vulneri, ſeu anteriori, inditus eſt parvus penicillus conſueto digeſtivo illitus, illitum quoque ſuper-

poſitum

poſitum linamentum. Aliquot ab hinc diebus regreſſus in urbem D. Peyrat, fuit ad noſtram curam advocatus. Vulnera eodem pacto curata.

Octavo curationis die, ſe prodidit ex vulnere anteriori epiploi pars, livida, nigreſcens. Ex conſilio ſpecillum nullatenus admiſſum. Vitiata pars epiploi, mox per oſtium patentius exiit, paucis poſt diebus & alia pars epiploi vitiata quoque egreſſa eſt. Statim vero ac ea pars epiploi decidit, ſtercus in extremo peniculo fuit obſervatum, ſicut & deinceps, & hinc cognitum vulnus inteſtini coli.

AEger coepit queri de gravi dolore in regione hypogaſtrica, veſicam verſus. Lotium erat cruentum, tuncque confeſſus eſt, ſe a paucis ante vulnus acceptum diebus, gonorrhaea & fluxione in teſtes laborare, quod nobis herniae obventu occuluerat. Decretae ſunt unanimi conſenſu inunctiones mercuriales in pene, ſcroto, perinaeo, ac in regione vaſicae, cum ea cautione, ut ſalivatio vitaretur. Etenim parcendum erat viribus aegri, qui non niſi juſculis tenuibus reficiebatur, & vitanda ventris tormina, ne vulnerato officeretur colo. In-

uncti-

unctionibus ergo mercurialibus ſumma cum cautela adhibitis, mox ſanguinis fluxus & ardor urinae cohibiti, evanuitque gonorrhaea ac teſtium tumor. Interea tertia ſe prodidit per vulnus epiploi pars, quae & paulo poſt decidit, & ut prius ſtercus ſecutum. Dehinc vulnus cicatrice feliciter obducebatur. Cum aeger, dum pertaeſus juſculorum ac offulae a biduo permiſſae, ſe cibo ſolidiore ingurgitavit; exudatio ſtercorina per vulnus externum emanavit, & hinc cognitum vim ex ſolidiori cibo allatam vulneri coli fuiſſe. Monitus aeger de periculo, ſibi temperaturum dixit; ſed & bis iterum peccavit. Nos de ipſius ſalute ſoliciti minas intentavimus de illo ſuae ſorti penitus relinquendo. Is perterrefactus, noſtris dictis audiens factus eſt, & 15 poſt diebus cicatrice vulneris per laminam plumbeam ſolidata, penitus ex vulnere ac viru venereo convaluit. Faſciae rejectae, ac conſuetus vivendi modus receptus. Mox Argentoratum ſe contulit, ubi perfecte ſanus eſt & incolumis. Curatio fuit menſium duorum ac ſemimenſis.

OBSERVATIO IV.

PRincipio menſis Maii, anno 1716. ad D. Barancy directus eſt nobilis Italus, Bononienſis, circiter annos 30 natus, lue venerea laborans. Praecipua, quibus infeſtabatur, ſymptomata haec erant: Plures exoſtoſes in capite, in claviculis, in vertebrarum apophyſibus. Exoſtoſes capitis eminebant in oſſe coronali ac parietalibus. Capitis dolor erat continuus, ſed adveſperaſcente die adeo exacerbabatur, ut per totam ferme noctem evigilaret, ac rabidus videretur. Diluculo remittebatur dolor, ac febricula ſequebatur. Hinc totius corporis languor & marcor.

Exoſtoſes adeo claviculas corruperant, ut in conatu quo pallium voluit humeris rejicere, altera clavicula fuerit per mediam diſrupta. Inaequales vidiſſes claviculas, aſperas, tumentes. Idem dixeris de apophyſibus vertebrarum.

AEgro multum profecerat, dum ageret in Italia, ptiſana ex ſalſa parilla. Hac per

dies 15 epota, menſes ſine moleſtia tranſigebat. Sed nihilominus excreſcebant exoſtoſes, ac dolor recrudeſcebat. Quo factum eſt, ut ad nos confugerit.

Conſulti ego ac D. Barancy unanimiter definivimus, malum ita radicatum eradicari non poſſe, niſi diutiſſime, frictionibus adhibitis, contineretur aeger in linteis mercurio inunctis. Ante omnia viſum eſt, ut balneis aliquot domeſticis, ob inſignem maciem humectaretur. Hoc factum. Dein totum caput unguento mercuriali affrictum eſt, & identidem claviculae ac vertebrarum apophyſes. Per frictiones lacte paſcebatur aeger. Statim ac ſputa oriebantur, aut ventris tormina, intermittebantur frictiones. Exoſtoſes imminutae, tum & dolor capitis modice ſedatus. Adhibui ptiſanam ſalſae parillae; ſed non hinc minuebantur exoſtoſes. Tum advocatus ſum ab aegro, meoque conſilio ſubventum eſt & dolori capitis & exoſtoſibus. Nempe fuerunt alternatim, interjectis diebus aliquot, adminiſtratae ptiſanae ſalſae parillae, ut auferretur capitis dolor, exoſtoſium ſuperſtitum inunctiones, ut penitus exoſtoſes evaneſcerent.

neſcerent. Sic alternatim proceſſit curatio; & Italus perfecte curatus.

OBSERVATIO V.

DIE ſecunda menſis Septembris, anno 1713. advocati ſumus ego ac D. Gondange chirurgus peritiſſimus, ut a lue venerea curaremus nobilem Anglum, praeſidiarium Portu mahonis centurionem, qui ab eo portu Monſpelium fuerat advectus. Homo ferme ſceleton apparuit. Is gravi ſtranguria, doloribus per totum corpus atrociſſimis, febri lenta & maraſmo vexabatur. Carebant ſenſu clunis & crus dextrum, etiam dum compreſſis digitis vellicarentur, utraque tibia tumebat exoſtoſi. Nares internas & poſticas aures obſidebant cruſtae. Prorſus miſerabilis aegri ſtatus.

Stranguria premebat, lotium eductum fuit per ſpecillum cavum, venaque bis ſecta, properato. Poſt aliquot dierum ſpecilli cavi miniſterio urina per ſe fluxit, nimirum diſrupto abſceſſu, qui collum veſicae compreſſerat, e quo per dies aliquot pus copioſum emanavit. Dehinc aeger purgatus,

& ad uſum lactis redactus. Interim teſtis intumuerat, vel ex meiendi conatibus, vel ex abſceſſu memorato. Inflammatio teſtis cataplaſmate lacteo diſcuſſa eſt.

Teſtem voluimus pauco unguento mercuriali illiniri. Statim ſubortum eſt eryſipelas, quod mox per imum ventrem, pudenda, podicem, utriuſque cruris partes internas, extenſum eſt, & graviſſimus ardor urinae. Tunc a ſucceſſu fere deſperatum, quod tantas mercurius excitaret turbas.

Ad uſum lactis recurrimus, eryſipelas evanuit. Dehinc ad curationem luis venereae ventum eſt. Aliquot balnea domeſtica, bina per diem, adminiſtrata ſunt, & per ea ſingula lac exhibitum. Poſt balnea ſucceſſerunt frictiones. Hae a pedibus inceptae, juxta conſuetum morem, ac ſurſum procedentes, ſed abſque recurſu. Frictionum tempore aeger bis quaque die lac hauriebat. Leves ſuerunt frictiones, ac identidem intermiſſae, ut quae ſuboriebantur, cum ſalivatio & ventris fluxus ſupprimerentur. Sic tandem ſanatus homo, pinguefactus ambulavit, ſaltavit ut ante.

Pri-

Priuſquam vero ſe ad Portum mahonem reciperet, voluit, aut alieno conſilio deluſus, aut praejudicio ſuo, ſalivationem ſubire, ad educendas penitus, aiebat ille, morbi reliquias. Pro virili reſtitimus, ſed ejus nos vicit pertinacia. Copioſa illi ſalivatio mercurialibus frictionibus procurata eſt. Convaluit & nitidus abſceſſit.



DISSERTATIO

Medico chirurgica

DE

TUMORIBUS.

CAP. I.

De tumoribus in genere.

QUidquid eminet in humano corpore, tumor audit, iſque aut naturalis eſt, aut non naturalis, aut praeter naturam. Tumidae faeminarum mammae, & uterus gravidus ſunt

ſunt naturales tumores; non naturales vero ſunt verrucae, lentigines, naevi quidam, gangliones, ſi nulli offecerint actioni. Tumor praeter naturam eſt, authore Galeno, morbus in quo corporis noſtri partes a naturali ſitu, magnitudine aucta recedunt. Praeter naturam augetur partium magnitudo, vel ex haerente humore, vel ex collecto flatu, vel ex ſitu ſolidarum partium vitiato. Triplex ergo tumorum genus ratione materiae continentis, nimirum humoris, flatus, ſubſtantiae ſolidae: qui fit ex humorum haerentia tumor, dicitur humoralis; qui ex flatu diſtendente, emphyſema; qui a vitiato partium ſolidarum ſitu, refertur ad oſſium luxationes aut fracturas, hernias veras, ani procidentiam, uteri prolapſum, & conſimiles.

Agemus dumtaxat in hac diſſertatione medico chirurgica de tumoribus humoralibus, qui partes externas obſident, & quod occurrant frequentius in praxi medica, & quod eorum curatio medicam opem & chirurgicam expoſtulet. Eorumque tumorum cauſa proxima erit humorum praeter naturam facta collectio, aut in propriis vaſis, aut extra vaſa.

Ma-

Majores noſtri, qui quatuor humóres ſtatuebant, ſanguinem, bilem, pituitam & melancholiam; quatuor tumorum ſpecies ex hiſce procreari volebant, phlegmonem a ſanguine, eryſipelas a bile, oedema a pituita, & a melancholia ſcirrhum: eoſque humores vocabant ſimplices, utpote ſingulos ab humore ſingulari, ut arbitrabantur, exortos. Ac ſi forte tumores obſervarent complicatos, eos ad plures humores ſimul permixtos referebant. Sed diligenti obſervatione perſpexerunt recentiores, nullum prorſus reperiri humorem in corpore humano, qui priſcorum melancholiae reſponderet, & formaliter contineri in maſſa ſanguinea cunctos humores, quibus corpus irrigatur. Ideoque merito jam inductum eſt, ut tumores ſimplices non repetantur ab humoribus ſingularibus, ſed a ſe invicem propriis ſignis diſtinguantur.

Sit ergo fixum & ratum tumoris morboſi eſſentiam in magnitudine praeter naturam aucta conſiſtere, unde morbus hic vaſculoſus eſt, idque ratione auctae magnitudinis, qua partis affectae laedatur actio. Eſt quoque morbus in meatu & cavitate, vaſa ſiquidem in eo ultra modum & inaequaliter

qualiter dilatantur, unde fit, ut alia praeter modum comprimantur, alia anguſtentur, & hinc actio partis tumefactae laeditur. His adde, quod & interdum vitietur in tumore ſolidarum partium ſitus & connexio, ut in herniis; & ſolvatur continuum, ut in abſceſſibus.

Tumor laedit interdum actionem ſola magnitudine, aut ſitu: v. g. verruca inter digitos adnata laedit prehenſionem, in extrema palpebra viſum; aneuriſmata & varices ſola partium dilatatione officiunt. Saepe phlegmone jungitur eryſipelati, & tunc eryſipelas dicitur phlegmonodes; eryſipelas oedemati conjunctum oedematoſum dicitur. Accidit non ſemel phlegmone ſcirrho, ut in ſtrumis inflammatis, & in cancro inflammato. Abſceſſus, ſcabies, variolae comitem habent ſuppurationem. Inſuper tumores nonnulli abeunt in gangraenam, & hinc in ſphacelum.

Totum corpus noſtrum reſolvitur in vaſa, & humores; non poteſt igitur ſolida pars corporis praeter naturam intumeſcere, quin ex vaſis alia dilatentur ultra modum, comprimantur alia, & quin ſoluta profundant humores. Tum pervertitur naturalis hu-

morum ſitus. Qui ſi fiat quaſi derepente, fluxio nuncupabitur; ſi ſenſim, congeſtio. Tumores per fluxionem facti plerumque calidi ſunt; qui per congeſtionem ut plurimum frigidi. Phlegmone & eryſipelas calidi dicuntur tumores, ob exuperantem in iis calorem. Frigidi vero ſcirrhus & oedema, ob caloris naturalis penuriam. Nec praetermittendum, tumorem humoralem remote produci a plethora, cacochymia, a vitio partis affectae. Pars debilior eſſe debuit, ut tumor in ea fieri poſſet. Cum peccant humores copia, & cum vitiati difficulter circulantur, vaſa diſtendunt diſpoſita, tumores producunt. Externae parti vitium accedit ex ictu, ex lapſu, ex violento ſitu diuturniori, ex diſtortione, ex compreſſione nimia, aliiſque ſimilibus. Inquinantur denique humores, & vaſa vitiantur ex abuſu ſex rerum non naturalium, ſicque ad tumores diſponuntur.

DIAGNOSIS.

Tumor, ſpecieſque tumoris autopſia & tactu dignoſcitur,diſtinguiturque; phlegmone magis eminet, circumſcribitur, rubet, calet,

let, durus eſt, dolore pulſativo moleſtus. Eryſipelas tumor eſt tantummodo ſuperficiarius, colore rubeo, roſaceo; qui preſſione mutatur, impenſe calet, & mollis eſt. OEdema minus tumet quam phlegmone, magis extenditur, indolens eſt, album, & molle. Scirrhus durus eſt frigiduſque, renititur, nec dolet. Si tumida pars fuerit diſtincte hic circumſcripta, firma & conſtanter rubea; illic non niſi ſuperficiarie extendatur, facile tactui cedat, & color ejus preſſione mutetur, & ubique caleat tumor; is erit ex phlegmone & eryſipelate compoſitus, audietque phlegmone eryſipelatodes, aut eryſipelas phlegmonodes; ſcilicet pro alterius praedominio, a potiori ſumitur denominatio. Si memorata eryſipelatis ſigna elixerint in inſigni cutis parte, v. g. in tota facie, confines vero partes, v. g. collum, aures, fuerint frigidae, albae, molles, ac indolentes; eryſipelas ejuſmodi erit oedematoſum. Et ſimiliter de phlegmone oedematode. Obſervabis interdum in ſcirrhi confinio partes cutis aut inflammatione affectas aut oedematode.

Ex propriis abſceſſuum & ulcerum ſignis diſtingues tumorem qui fuerit cum ſolu-

tione continui complicatus. In abſceſſu eſt puris collectio latens; pus palam emanat ex ulcere. Non poteſt autem colligi pus aut emanare, niſi ſolutum fuerit continuum. Itaque cum erumpunt variolae, exigua ſunt eryſipelata, cum jam intumuerint, phlegmones ſunt; incipiente ſuppuratione, referunt abſceſſus; diſruptae vero ſunt ulcera. Idem fere dixeris de ſcabie, de herpete, de tinea, de cruſta lactea, & ſimilibus. Omnis abſceſſus eſt tumor complicatus, ſed non omnis tumor abſceſſus eſt.

Phlegmone rubet; naturalis color non immutatur in emphyſemate, nec in ſcirrho. Tactui renititur ſcirrhus; renititur & emphyſema, cum flatus non poſſunt alio divagari. Comprimenti digito cedit oedema & compreſſionis veſtigium retinet. Emphyſema quidem interdum cedit, ſed nullum tunc retinet compreſſionis veſtigium; nec quidem mutat colorem ex compreſſione; eryſipelas mutat. Sonum edit emphyſema, ſi manu percutiatur, non tumores alii. Unde hujuſmodi proprietas in emphyſemate? Quia tumet flatu.

Hinc dignoſces, an tumor emergat ex luxatione vel fractura. Oſſa luxantur aut frangutur

guntur

guntur in temporis puncto, & eodem temporis puncto laeduntur actiones. Humores vero humorales & paulatim aſſurgunt, & non niſi paulatim actiones laedunt. Cur diſcrimen hujuſmodi? Ex eo quod ſubito mutetur in luxationibus & fracturis oſſium ſitus. Humorales vero tumores ſubjiciantur quatuor vulgatis morborum temporibus. Certum tamen eſt, tumores humorales poſſe luxationibus aut fracturis ſupervenire, ſed non e veſtigio. Interroga de his aegrotantem & aſſidentes, ſi ſero fueris advocatus. Tumor ex hernia vera, ex uteri prolapſu, ex ani procidentia, diſtinguitur ab humorali tumore; quod plerumque ſubito fiat, quod poſſit externa preſſione, vel mutato corporis ſitu, pars loco dimota reſtitui; niſi haec nimium diſtendatur, inflammetur, factaque fuerit cum tumore humorali hujuſce tumoris complicatio.

P R O G N O S I S.

Quatuor in tumore humorali obſervabis tempora, principium, augmentum, ſtatum & declinationem. In principio jam primum exoritur tumor, leviaque ſunt ſymp-

tomata,

tomata. Tumor augetur & ſymptomata ingraveſcunt in augmento. Tunc ſtatus erit, cum tumor comparatum magnitudinis ſervabit tenorem, & ſymptomata ſaevient. In declinatione minuetur tumor, & miteſcent ſymptomata. Calidi tumores cito ſua percurrunt tempora, ſuntque ideo morbi acuti. Frigidi vero chronici ſunt, quia diu perſeverant, ſunt contumaces, ac difficile terminantur.

Terminantur tumores aut reſolutione, aut ſuppuratione, aut induratione, aut gangraena. Reſolutionem argues ex uberiori tranſpiratione, quam percipies in emplaſtro recollectam in guttulas, aut in rorem quemdam diffluentem; & maxime ſi pruritus acceſſerit. Suppurationem conjectabis ex ſymptomatum ſaevitia, nimirum acerbiori dolore, calore acriori, intenſiori pulſatione, quam dolor lancinans comitatur; tum ſi febris erratica ſuperveniat, aut jam facta exacerbetur; ſi acceſſerint horrores totius corporis, inſignis oſtenditur ſuppuratio, vel in parte valde ſenſibli fiet. Confecto pure miteſcunt ſymptomata, molleſcit tumor, in albeſcentem tumorem deſinit, & ibi pus fluitans

fluitans digito percipitur; quae quidem ſigna ſunt abſceſſui propria.

Indurationem fieri percipies, ſi ſenſim tumor fiat ex majori minor, & durus ex molliori, & hoc accidit, cum humoris haerentia particulae ſubtiliores tranſpiratione avolarunt, aut cum reſorbentur tenuiores, & remanſerunt craſſiores. Imminentem vero gangraenam portendunt coloris mutatio, doloris vehementia, & repentina partis tumentis mollities. Arguunt jam factam doloris ceſſatio, ſenſus partis obſcurus, & lividus color. Dehinc omnimoda ſenſus privatio, nigredo partis, ejuſque foetor cadaveroſus, oſtendunt ſphacelum jam factum. Ex modis quibus ſolvuntur tumores, is optime fere ſemper, qui fit per reſolutionem; proximus huic, qui per ſuppurationem fit. Malum vero ſemper eſt, tumores indurari: & peſſimum, partem gangraena & ſphacelo perire. Sed & varianda tumorum prognoſis pro varia ipſorum cauſa, & pro partis affectae ratione. Pro varia cauſa alii dicuntur ſalutares, alii maligni ſunt, peſtilentes alii; tum & nonnulli venerei ſunt, nonnulli haereditarii, plerique adventitii. Pro parte affecta, tumores in facie & in imis

fau-

faucibus enati periculoſiores, quam qui in reliquo corpore. Periculoſiores quoque qui in partibus membranaceis, qui in articulis, aut prope tendines & oſſa, quam qui in partibus carnoſis. Et ſic de aliis, pro nobiliori aut ignobiliori partium officio.

CURATIO.

Non uno modo curantur tumores. Alii naturae prorſus committendi. Alii reſolutione, alii ſuppuratione curandi ſunt. Alii prorſus e veſtigio reſcindendi.

Naturae committas quos perſpexeris critice & cum bonis aegri rebus exortos, ut variolas & morbillos, quibus ſanguis critice depuratur. Parotides vero, tametſi criticae, ſi in febrium malignarum principio cum malis aegri rebus ſuccreverint, ut plurimum reſolvendae. Si vero in febrium declinatione & miteſcentibus ſymptomatis, ad ſuppurationem perducendae. Bubones venerei nunquam reſolvendi, ſed ad ſuppurationem perducendi, quo imminens lues venerea praecaveatur; quae tamen raro praecavetur.

Peſtilentes tumores, ut carbunculus ſeu anthrax; venenati, ut qui a morſu viperae, a morſu canis rabidi, ſcorpionis, tarantulae; ſcarificationes expoſtulant & cauteria, non reſolutionem aut ſuppurationem.

Reliqui tumores humorales alia indigent curatione, dum fiunt, alia dum jam facti. Dum fiunt, inhibe ne humores in partem tumeſcentem irruant, haereantque. Sanguinem ergo minue, averte, diverte, & cacochymiam corrige. Tumores vero jam factos diſcute. Si fiant per fluxionem, vaſa ſanguifera deplenda ſunt, & compeſcendus humorum motus; tum & interdum pars affecta comprimatur; interdum defenſivis, ut aiunt, muniatur. Sic tumor non progredietur ultra, & ſenſim evaneſcere poterit. Si vero fiant tumores per congeſtionem, ne ſecato venam, humores ne cohibeto, tumorem ne comprimito; haec enim fruſtra ſunt. Sed catharticis, ſudorificis, aperientibus, diureticis, humorum lentorem & cacochymiam corrigito.

Itaque in phlegmones & eryſipelatis principio & augmento, ne humores haereant in parte affecta, magiſque accumulentur; venae ſectiones conveniunt ſaepius iteratae,

I pro

pro morbi magnitudine, pro aegri viribus, temperamento, anni tempeſtate. Imo & corrige refrigerantibus, cum opus fuerit, partis affectae calorem intenſum. Contra vero dum fiunt frigidi tumores, oedema & ſcirrhus, procurandus ſanguinis motus, diſcutienda ſeri copia, lympha craſſior tenuanda.

Fit interdum, ut accerſatur contuſionibus plegmone ac eryſipelas, tumores inflammatorii. Ut vitentur, partem contuſam ſtatim ab ictu fortiter comprime, defenſivo muni; hinc obſtabis majori humorum ad partem affluxui.

Cum vero quatuor memorati tumores in ſtatu ſunt, aut declinatione, qua ope illis ſuccurret medicus? Is procurabit, ut diſcutiantur, ſed & ſimul rationem habebit ſymptomatum & eventus. Saevientia mitigabit ſymptomata. Eventum promovebit, cum propitius apparuit, cum adverſius, avertet. Itaque compeſcet dolorem nimium anodinis & narcoticis, quae quidem & opitulantur, praemiſſis univerſalibus, ſi convulſiones ſuperveniant. Quod ſi febris tumoribus acceſſerit ex cacochymia, haec febrifugis extinguenda. Secus ſi ex ſuppura-

puratione. In ſumma, cunctis medebitur ſymptomatis, quae curationi tumorum obſtiterint.

Eventus ratione ita tractentur tumores, ut impactus humor reſolvatur, aut ut ſuppuratione vacuetur; ut nimia vitetur induratio, gangraena & ſphacelus praecaveantur. Ideoque cum ſalutaria eluceſcent reſolutionis ſigna, uſurpentur primum reſolventia; dehinc cum ſpontanea & mitis ſuppuratio ſeſe obtulerit, ea ſuppurantibus juvetur, donec maturuerit, tuncque ut pus effluat, aperiatur tumor, ſi per ſe non diſrumpatur. At ſi pars affecta vergat in gangraenam, ſpirituoſis & cardiacis ſtatim utendum, & pars ſphacelo correpta ſcarificationibus & ferro amputetur. Sunt autem varia reſolventia, ſuppurantia, & gangraenam praevertentia, quae proficere poſſunt aut nocere, pro varia morbi natura & indole; pro varia ejus complicatione, cauſa, ſede, aliiſque rationibus, de quibus ſingulis dicetur inferius, ubi de peculiari tumorum a nobis propoſitorum curatione ſermo fiet.

CAP. II.

De Phlegmone.

PHlegmone tumor eſt humoralis, qui ſatis exquiſite circumſcribitur, qui rubore, calore, tenſione, dolore, ac pulſatione dolorem intendente ſtipatur. Parotis dicitur, cum naſcitur pone aures; cum in inguine, bubo; cum ad unguis radices, paronychia, vulgo panaritium. Ad phlegmonas referuntur pernio, clavus, furunculus, papulae variolarum & ſcabiei: tum & varia phymata ac exanthemata, in univerſum quaecumque ſupra cutem efflореſcunt, cum intenſiori calore, rubedine, dolore, tenſione & pulſatione.

Quo pacto pars tumeſcit, rubeſcit, impenſius calet, doletque, niſi ex ſanguine in parte collecto diſtendente vaſa, fibrarum nervearum acuente ſuccuſſiones? Ex uberiori ſanguinis appulſu, & facta hinc ex validioribus arteriarum oſcillationibus haerentium humorum attritione, acrior ſanguinis calor, & veluti partis iſtius febris. Pulſus vaſorum non a corde pulſante, ſed a ſanguine

ſanguine alternatim compreſſo & ſeſe reſtituente. Duritiem phlegmones ac tenſionem repeto a ſumma vaſorum ingurgitatione, diſtenſione, & ideo compreſſiore textura. Et diſtinctam circumſcriptionem ab injecto progreſſioni ſanguinis obice, quo ſanguis de novo adveniens cogitur copioſius in ambitum derivari. Quid ſi ex ſparſis ſubter cutem glandulis, quae ipſae circumſcriptae ſunt, quaedam inflammentur, nonne ferentur extrorſum? Nonne tumorem excitabunt circumſcriptum, ut in bubone ac parotide?

Phlegmone non ex eo fit, quod ſanguinis ſalia extricentur in affecta parte, & a ſulphurum, ut aiunt, compedibus liberentur; ſed ex eo dumtaxat, quod praecludatur in parte libera ſanguinis via. Utrumque probat hoc experimentum. Injiciatur extremo digito fortis ligatura; hic promptius eluceſcent phlegmones ſymptomata, tumor extremi digiti, tenſio, calor, rubor, dolor, pulſatio. Solve ligaturam, cuncta haec evaneſcent. Quid egit ligatura? Magis compreſſit venas, utpote magis tenues, quam arterias firmiores. Ecce obicem praetervecto ſanguini factum, & ſtatim ac ſublata

eſt

eſt ligatura, libera ſanguini facta eſt via. Ubi jam ſalia extricata, ac in extremo digito depoſita? At haec non viderunt noſtri ſalſamentarii, fore ut nunquam ſolverentur tumores per reſolutionem, ſed per ſuppurationem ſemper. Quis enim crederet, tantam ſalium depoſitorum ſaburram, ex qua adeo intumuit ingens phlegmone, tam exiguo temporis ſpatio poſſe diſcuti, quo is tumor ſaepe reſolvitur?

Si contundantur carnes inſigniter, aut vulnere caedantur, ſi frangantur, ſi luxentur oſſa, non mirum excitari phlegmonas. Tunc enim praeter naturam comprimuntur vaſa, aut caeduntur, aut diſrumpuntur; hinc impedita aut praecluſa ſanguinis via. Eodemque pacto acerbiores dentium & articulorum dolores accerſunt non ſemel phlegmonas. Tum & ſubditae cuti glandulae, cum imbuuntur humoribus, & finitima vaſa comprimunt. Tument autem glandulae frequentius, quam aliae partes, quod cum ipſarum vaſa magis ſint intorta & complicata, obnoxiora ſunt infarctui, & infarcta ſeſe magis invicem comprimunt; & cum glandularum munus ſit humores e ſanguine ſecernere, ſi humores effluant uberiori

ori copia, infarciunt vaſa; ſi viſcidiora extiterint, & vaſa ſanguifera & ductus ſecretorios obturabunt. Hinc amygdalae, hinc parotides, ex copioſiori aut viſcidiori ſaliva. Hinc bubones ex lympha viſcida & tenaci.

DIAGNOSIS.

Confundunt plurimi phlegmonem cum inflammatione; alii phlogoſim dicunt eſſe phlegmones ſpeciem. An recte; ipſi viderint. Non omnis inflammatio tumet; ergo non eſt omnis inflammatio phlegmone. Ne quidem tumet phlogoſis; ergo phlegmone non eſt. Quid ergo inflammatio? Genus. Quaenam hujus generis ſpecies? Phlogoſis, phlegmone, eryſipelas. Phlogoſis eſt inflammatio ſimplex, abſque tumore ullo. Eryſipelas cum tumore dumtaxat ſuperficiario. Phlegmone cum tumore ſublimi & circumſcripto. Sicque diſtingues inter ſe phlogoſim, phlegmonem, eryſipelas. Et inflammationem ſtatues ex rubore, calore, dolore, quos obſervabis in omni phlogoſi, eryſipelate ac phlegmone. Poſteriora duo & aliis ſignis diſtinguuntur.

Phleg-

Phlegmone tactui reſiſtit, nec mutat colorem; pulſativum, ut aiunt, dolorem infert. Tactui cedit eryſipelas, albeſcitque cum comprimitur, moxque roſaceum ſuum colorem reſumit, calet, nec pulſat. Sedem nunquam mutat phlegmone, eryſipelas interdum mutat, ſerpitque a parte in partem.

Diſtinguitur phlegmone a ſcirrho ſimplici, non tam duritie ac tenſione, quam inflammatione, dolore, invadendi modo. Phlegmone ſiquidem ſemper a principio rubet, calet, dolet, prompta fluxione generatur. Scirrhus vero generatur congeſtione ſenſim facta, indolens eſt, nec inflammatur, niſi jungatur cum phlegmone. Et in eo diſtingues phlegmonem ab oedemate, quod oedema non ita diſtincte circumſcribatur, album ſit & molle, nec doleat. Quibus modis complicetur phlegmone cum eryſipelate, cum ſcirrho, cum oedemate, traditum eſt ſuperius capite primo.

PROGNOSIS.

Simplex phlegmone acutus morbus eſt, interdum ſalutaris, periculoſus ſaepe, nonnunquam

numquam lethalis. Ideo acutus, quod cum impediatur in parte affecta ſanguinis circuitus, neceſſe prorſus ſit, ut aut cito diſcutiatur, aut rumpantur vaſa ſanguifera, extravaſetur ſanguis & computreſcat, tuncque complicetur phlegmone, aut mutetur in alium morbum.

Hinc variolae ſalutares ſunt, cum erumpunt facile, cum cito ſuppurantur, & mitioribus ſymptomatis ſtipantur, aut nullis. Sunt vero periculoſae, cum erumpunt aegre, cum aegre ſuppurantur, cum ſemel elatae ſubſidunt ſubito; cum inchoata ipſarum ſuppuratio ſiſtitur ad tempus, aut penitus cohibetur, & graviora ingruunt ſymptomata, lethales erunt.

In angina tumefactae tonſillarum glandulae obſtant deglutitioni ac reſpirationi, ideoque earum phlegmone, niſi prompte ſolvatur, cito ſtrangulat aegrotantem. Ergo phlegmone acutus eſt morbus, periculoſus ſemper, interdum lethalis, nec tantum ſui, ſed & ratione ſymptomatum.

In parotidibus diſtinguendum. Si ſupervenerint febribus, ſi fauces non occupaverint, eumdem ac reliquae phlegmonae ſortem ſortiuntur. Si fauces utrinque com-

preſſerint, ſemper periculoſae ſunt, & ut plurimum lethales. Si vero febri malignae ſupervenerint, & ad ſpaſmum exortum alia miteſcunt ſymptomata, tunc bonis aegri rebus ſuperveniſſe cenſendum eſt.

Praeter malignas phlegmonas, ſunt peſtilentes, ſunt venenatae; epidemicae graſſantur peſtilentes, & plures tollunt mortales. Venenatae quae a morſu viperae, ſcorpionis, tarantulae, conſimileſque lethales ſunt, niſi promptis debellentur auxiliis. Quae ab impuro coitu, inguina ut plurimum obſident, dicuntur proprie bubones venerei, qui ſi reſolvantur, certum eſt fore, ut ſequatur lues venerea, quamtumvis pede claudo; imo & ſi probe ſuppuratio proceſſerit, foeda illa lues ſubſequetur, niſi abſumptum penitus fuerit virus venereum.

C U R A T I O.

Phlegmonae quibus depuratur ſanguis, vel naturae ſunt committendae, ſi exiguae ſint, ut variolae benignae; vel ſi grandiores extiterint, cito ad ſuppurationem perducendae, ut parotides criticae ac ſalutares.

Pe-

Periculoſae vero & quae lethum portendunt, illico aperiendae. Aperiendae quoque phlegmonae venenatae, ne venenum ulterius contaminet, ut promptius educatur, ut cum ſanie & pure effluat. Cohibendae vero a principio & reſolvendae, quae cum accreverint, ſaluti periculum intentant, ut amygdalae in angina.

Ut vero methodice adminiſtrentur haec auxilia, ſpectandum an phlegmone fiat, an facta jam ſit. Dum fit a contuſione, cohibe illico fluxionem, nimirum contuſam partem faſciis aut quomodocumque comprimito, & munito defenſivis, veluti panno, quem ovo exagitato intinxeris, imbueriſque. Vel adhibito quae priſci vocabant repercutientia, ac repellentia, emplaſtrum pro fracturis, bolum armenam, ſanguinem draconis, terram ſigillatam, maſtichen, alumen, colchothar, eaque albumine ovi ſubacta. Formula haec erit:

℞ *Boli armeniae, terrae ſigillatae & ſanguinis draconis ana partes duas. Maſtiches & aluminis rupei ana partem unam. Colcotharis partem ſemiſſ. Fiat ex iis pulvis tenuiſſimus,*

mus, qui cum ſufficienti quantitate albuminis ovorum exagitetur. Defenſivum hoc contuſae parti applicetur.

Porro hujuſmodi auxilia quae phlegmonem arcere poſſunt a parte contuſa, nocerent phlegmone per ſe naſcenti, ac praeſertim cum cutis a tumeſcente ſubjecta glandula extrorſum pellitur. Caveto igitur, ne in hoc poſteriori caſu partem tumeſcentem comprimas, & adſtringas vaſa. Imo juvetur humorum circuitus, & novus infarctus praecaveatur venae ſectionibus, diaeta tenui, medicamentis modo alterantibus, modo evacuantibus ad cauſam conjunctam & ſaevitiem ſymptomatum accommodatis. Venae ſectio hic praecipua eſt, ea minuit ſanguinem, revellit, derivat. Iteretur ergo cum opus fuerit bis, ter, quater, pro aegri viribus, pro tumoris magnitudine ac periculo. In anginoſis, v. g. quaternis horis, ne mox aeger praefocetur. Venae ſectiones tres vel quatuor ſibi ſuccedentes ſpatio brevi, multo magis proſunt, quam octo decemve, longo. Injiciantur horis commodis clyſteres emollientes atque laxantes,

laxantes, cum alvus pigra fuerit; hinc liberior fit ſanguinis circuitus.

Cum a ſaevis doloribus phlegmone generatur, accerſitur febris, pertinaces vigiliae, deliria; tunc compeſcantur ſanguinis aeſtus & motus, refrigerantibus, anodinis, narcoticis. Praeſcribantur ergo julepi refrigerantes, aut emulſiones vulgares, addito laudani grano uno, aut ſyrupi papav. alb. uncia ſemiſſe. Cum ſatis non fuerit haec narcoticorum doſis, aut ſenſim augeatur, aut iteretur, idque pro doloris vehementia, & prudentis medici conſilio. Parum vero proſunt narcotica, cum corpus fuerit cacochymum, cum ſaburra gravantur primae viae. Eliminetur ergo ſaburra, ſed cathartico leviori ac temperato. Fortiora ſiquidem & calidiora cathartica humores concitant, & augent fluxionem. Praeſcribatur itaque ſequens aut ſimilis potio purgans.

℞ *Rhabarb, elect. craſſiuſcule contuſi* ʒ 1.
pulpae caſſ. recenter extractae ℥ 1.
leviter bulliant ſuſpenſo intra nodulum rhabarb in decoct. tamarindor. ping. q. ſ. in colaturae ℥ 6. *diſſolv. mann.*

mann. calab. ℥ i ß *f. potio ſumenda mane jejun. ventriculo. Servatis ſervandis.*

Quae mox dicenda magis pertinent ad chirurgum. Hujus eſt recte ac tempeſtive applicare topica, & quis ſit tumoris ſtatus diligenter conſiderare. In principio conveniunt reſolventia, nempe ut haerentes humores priſtinum ſuum fluorem recipiant, ſicque diſcutiatur ſi fieri poteſt phlegmone. Sed libero ſanguinis motui obſtant modo caloris exceſſus & doloris vehementia, modo ſiccitas vaſorum, modo nimia ipſorum laxitas. Data tempore proſunt, & data non apto tempore aeque nocent. Itaque cum dolor adfuerit & aeſtus ſanguinis uſu veniant hujuſmodi reſolventia, lac tepidum, cataplaſma de mica panis, cui addatur crocus orientalis, aut oleum liliorum, aut vitellum ovi, aut alia hujuſmodi. Si oportuerit ſimul reſolvere humores & firmiora laxare vaſa, conveniunt aut merum vinum calidum, aut panis eo imbutus, aut vinum calidum in quo plantae aromaticae fuerint decoctae, Praeterea unguentum de althea, oleum laurinum, camomillae, meliloti, & alia

alia hujuſce generis. Si ſimul fuerit reſolvendus tumor & exſiccandus, ut phlegmone oedematodes, uſurpentur aut aqua vitae aut ſpiritus vini ſolus, vel camphoratus, interdum ſpiritus volatilis ſalis ammoniaci, urinae, cranii humani, urina tepida, & ſimilia.

Videndum quoque dum applicantur reſolventia, utrum facile procedat tranſpiratio, nec ne. Si facile procedat; laxae, tenueſque ſint faſciae, non arctae, non craſſiores, ne tranſpiratio cohibeatur. Applicentur ergo liquida reſolventia, macra, non oleoſa, linteo identidem madefacto. Quod ſi aegre procedat tranſpiratio, veniendum ad cataplaſmata reſolventia; v. g.

℞ *Micae panis albi minutim ſectae* ℔ I. *lactis caprini recenter educti* ℔ II. *coquantur ad conſiſtentiam cataplaſmatis, identidem totum exagitando. Adde ſub finem coctionis croci orientalis in pulverem redacti* ʒ I. *olei liliorum* ℥ II. *fiat cataplaſma anodinum & reſolvens, ad uſum.*

℞ *Vini rubri optimi* ℔ 3. *micae panis vulgar.* ℔ I ß *coquantur ad conſiſtentiam*

tiam cataplaſmatis. Finita coctione adde aq. vitae rectificatae ℥ 1. fiat cataplaſma reſolvens & laxans. Parti applicetur & identidem renovetur, adeo ut ſemper humidum ſit.

℞ *Folior. parietar. mundator m. 1. contundantur in mortario marmoreo, ſenſim affundendo quantitatem ſuff. aquae vitae rectific. vel ſpiritu vini pro medici conſilio. Paretur cataplaſma ſimul reſolvens & exſiccans, parti applicandum ac pro neceſſitate renovandum.*

Hactenus dictum eſt de auxiliis, quae conveniunt phlegmone dum fit, hoc eſt, in ejus principio & augmento. Jam vero agendum de iis, quae poſtulat facta phlegmone, hoc eſt, dum in ſtatu eſt aut declinatione. In ſtatu ergo, niſi tumor vergat ad ſuppurationem, reſolventibus quoque inſiſtendum ; ſed quibus ? Iis quae magis prodeſſe fuerit obſervatum. A juvantibus ſiquidem & laedentibus ſumenda indicatio, cum in morbis omnibus, tum maxime in curatione tumorum humoralium, nimirum quod peritiores etiam chirurgos ludat

ludat interdum natura. Viſae ſunt phlegmonae, quae fortiori reſtiterint reſolventi, & leviori ceſſerint, v. g. in phlegmone mammarum, quam lac concretum induxerit, ſaepe nocet ſpiritus vini, & juvat interdum ſalis ammoniaci ſpiritus, imo & interdum ſimplex urina tepida diſcutit has mammarum phlegmonas, quas in ſtatu ac declinatione ſuppuratas crediſſes. Quod omne repetendum ex varia humorum phlegmonem producentium natura, remediorumque cum illis humoribus reſpectu.

Declinante phlegmone ac vergente ad ſuppurationem, uſurpentur quae dicuntur ſuppurantia ſeu maturantia, quia creduntur maturare tumorem & ſuppurationem promovere. Duplicis generis ſunt haec, ſicca & mollia. Priora recluſo intus ſucco perſpiratorio, torpentes humores extra vaſa poſitos agitant. Eoſdem agitant & poſteriora, ſed inſinuatis tenuibus ipſorum particulis; hinc naturalis ſuppuratio, quae naturae opus eſt, non artis. Sanguis extravaſatus convertitur in pus, non quia putreſcit, ut in gangraena fit & in cadavere, nec quia illius ſalia fictitiorum ſpirituum beneficio, ut vulgo creditur, extricantur:

ſed quia vitali vicinarum partium tranſpiratione atque calore continenter agitatur, excoquitur, mutat formam, novum fit liquidum praeter naturam, & penitus a ſanguine diverſum. Nunquam fit pus, praeterquam in viventi animali ac naturaliter tranſpirante.

Quoties ergo procuranda fuerit phlegmones ſuppuratio, ut in furunculo & clavo, tumori applicabis maturantia ſicca; hujuſmodi ſunt emplaſtrum diachilum ſimplex & compoſitum, emplaſtrum mucilaginum, diapalma, pix navalis oleo ſoluta, aliaque. Cum vero non tam praepediendus perſpirationis effluxus, quam concitandi pigri humores collecti, ut parotidum ac bubonum, tunc maturantia mollia uſurpentur. Haec confici ſolent ex radicibus & foliis altheae, malvae, branchae urſinae, ex liliorum alborum radicibus, floribus camomillae, meliloti, ex farinis lini, faenigraeci, fabarum, ex caricis, caepis, & ſimilibus, quibus addi poteſt unguentum baſilicum.

℞ *Fol. malv. & alth. ana m.* ß *flor. melilot. & camomill. ana pugil* 1. *radic. lilior. alb. & caepar. ſub cineribus*

bus coctarum ana ℥ II. *coquantur in ſ. q. aq. font. ad mollitiem, dehinc contundantur in mortario, addanturq; his contuſis farinae ſemin. lin. & faenigraeci ana* ʒ I. *unguenti baſil.* ℥ II. *fiat cataplaſma.*

Interdum ſola ſatis eſt brancha urſina contuſa, vel ſolae radices liliorum ſub cineribus coctae, cocta acetoſae folia, & in gingivarum phlegmone ſolae caricae pingues conſciſſae. Feliciter ſuccedit ad ſuppurationem ſequens cataplaſma.

℞ *Theriac. veter. ferment. panis & ſuppurativi vulgaris partes aequales. Haec ſimul exacte miſceantur, ſenſim affundendo acetum vini vulgaris optimi, ad eam quantitatem, ut conſtituatur mollius cataplaſma.*

Haec & ſimilia phlegmonem interdum reſolvunt, interdum ejus ſuppurationem promovent. Reſolvunt dum ſanguis adhuc haeret in vaſis. Promovent ſuppurationem, cum interſtitia vaſorum occupat. Diligenter ideo expende, an ſuccedat ſuppuratio.

Factam intelliges ex tumore remolleſcente, in mucronem ſublato, ex humoris fluctuatione, quam digito comprimente perceperis. Factumque pus cito educendum, ne partes exedat finitimas, ne pariat ſinus fiſtuloſos. Aperiendus ergo tumor, ni per ſe rumpatur, nempe in loco molliori ac decliviori. Scalpello ſi parvus fuerit abſceſſus, nec ſinuoſus; cauterio potentiali, cum majorem expoſtulat aperturam, veluti cum magnus & ſinuoſus fuerit abſceſſus. Apertus vero tumor curabitur, ut vulneribus aut ulceribus convenit.

C A P. III.

De Eryſipelate.

ERyſipelas tumor eſt humoralis, ſuperficiarius, qui rubore roſeo, & calore deurenti ſtipatur. Ob colorem roſa quoque dicitur, & ob calorem deurentem, ignis ſacer. Hunc morbum interdum praecedunt horrores & febris, haec ſaepe comitatur. In exigua cutis parte eryſipelas ſeſe prodit in principio, in augmento exten-

tenditur, attolliturque, & in ſtatu quaſi acclivis & complanatus collis eſt, incertis ac dubiis finibus. Sedem mutat in declinatione a parte in partem, idque relicta priori parte perfecte ſana. Si quocumque temporis parte, vel leviter digitum applicueris, cedet & albeſcet eryſipelas. Si removeris digitum, ſtatim rubedo ac tumor reſtituentur. Fit interdum, ut in ejus augmento ſublevetur cuticula in veſiculas lymphatico ſucco refertas, quae per ſe diſrumpuntur diſcuſſo morbo. Exſiccata totius affectae partis cuticula, abit in ſquamas deciduas, & nova ſubter generatur cuticula.

Ideo fit omnis inflammatio, quod ſanguis difficilius per partem affectam circuletur, ibique aeſtum concipiat. Ea fiunt in eryſipelate, quod inflammationis ſpecies eſt. Unde vero haec ſanguinis in parte mora? Ex retenta perſpiratione uberiori aut craſſiori. Eſt autem perſpiratio humor excrementitius, qui continenter & copioſe ſecernitur e ſanguine, continenter effluit per poros cutis. Pone perſpirationem ſupprimi, inquinabitur ſanguis, remorabitur in debiliori parte corporis, vaſa continuo moleſtabit, ille reciproca illorum actione conquaſſa-

quaſſabitur, atteretur, ſummus calor concitabitur, horrebit corpus, febris aderit.

Remoratur ſanguis in parte quam obſidet eryſipelas, nec tamen ſtagnat, aut e vaſis effunditur. Argumento eſt, quod effuſus ſanguis parti eſt impactus, nec alio fugit. Fugit autem ſanguis in eryſipelate, quia tumor facile cedit comprimenti digito, quia diſcutitur ad compreſſionem digiti, color roſeus, quia ſerpit interdum eryſipelas ac ſedem per ſe mutat, & vaſcula partis tenuiora ac molliora, quibus compreſſis fugit ſanguis, cum mox a compreſſione recipiunt, imo quia molliora ſunt, & concreti non ſunt humores, quibus dilatantur, ideo non adeſt dolor pulſativus, ut in phlegmone.

Praeter ea, funditur eryſipelatis incendio lympha illa concreta ſub cuticula latitans, quae vulgo corpus mucoſum dicitur; propria diſrumpit vaſa, effunditur, rareſit, & hinc excitantur veſiculae. Si quis eas repetiverit a corroſivis limphae ſalibus, in eo revincetur, quod eas ſine ullis ſalibus excitet & admotum ferrum candens & flamma candelae & ſimplex combuſtio. Statuatur ergo ſatis eſſe calorem deurentem,

nec

nec opus eſto ſalibus, ut excitentur in igne ſacro veſiculae.

Proxima ac immediata eryſipelatis cauſa eſt ſanguis in parte difficilius circulans, & praeter modum conquaſſatus. Hinc enim fit, ut diſtendantur partis vaſcula, ut leviter pars intumeſcat, rubeat, impenſe caleat. Nec ea ſanguini accidunt, niſi quod is, retento perſpirationis ſucco, inquinetur. Quanta ſit naturalis perſpiratio, demonſtrarunt Sanctorius & Boileus. Ea cum alicubi ſiſtitur, accidit perpetuo novus ſuccus perſpiratorius, ac in parte veluti congeritur. Cum quis, incaleſcente corpore, ſe ſe praepoſtere exponit aeri frigido, unde paucis ab hinc horis tentatur eryſipelate, niſi quod obturati fuerint ſecretorii perſpirationis pori? Quod efficit aer frigidus, efficit & hoc aqua frigida, nix, glacies, quia ſimili pacto poros obturant. Nec tamen obturantur pori, ut vulgo creditur, a nitro aereo; ſed quod partis calore in haec frigida tranſmiſſo, minus dilatantur, ac tandem conſtipantur ductus ſecretorii, qui pororum nomine veniunt. Obturatis poris, perſpiratorius ſuccus ſanguinem inquinat, difficiliorem reddit ejus tranſitum, ejus aeſtum commovet; cum

vero

vero poſtea ſanguis deferveſcit, tunc ſenſim reſtituitur perſpiratio, ſanguis excrementitio perſpirationis ſucco ſenſim liberatur, minus impeditur in parte, fluit liberius, per ſe ſolvitur eryſipelas. Quod quidem intelligendum, ſi, ſanguine rite conſtituto, ortum duxerit eryſipelas dumtaxat a cauſa exterius agente. Cum aut craſſior, aut eſt copioſior ſuccus perſpirationis, fit ut confluens indeſinenter ſuccus ille in ductus illos ſecretorios, eos inaequaliter diſtendat, ſicque rigores ac horrores, fibras nerveas ſuccutiendo per totum corpus procreet. Amplius, ſi fuerit pars quaedam corporis caeteris laxior, in eam irruet ſuccus ille, in ea colligetur majori copia & producet eryſipelas; ſcilicet nunc in facie, nunc in collo, interdum in extremo pectore, in abdomine, in brachiis, cruribus, aliaque parte, ſi quae fuerit magis diſpoſita, externa vel interna. Eſt capitis perſpiratio craſſior, axillarum aquoſior & hircina, pedum foetida, faciei tenuior & aequabilior. Non mirum ergo, ſi pro varia ſucci perſpiratorii indole, partiſque diſpoſitione, modo hic, modo illic naſcatur eryſipelas, ſerpatque modo huc, modo illuc. Saepius tamen invadit eryſi-

pelas

pelas externas partes, quam internas. Perſpirant utraeque, ſed internae facilius, externae vero difficilius conſtipantur.

Unde vero fit, ut ſanguis perſpiratorio ſucco turgeat, craſſiori aut copioſiori? Ex abuſu ſex rerum non naturalium. Ita cum obſtruitur uterus in virgine, nec erumpunt menſtrua, hinc ſanguis ſcatet lacte uterino, quo, ſi ſuccus perſpiratorius inquinetur, in eryſipelata varia & periodica pronior virgo eſt. Item proniores bilioſi, cum non expurgatur eorum bilis. Et ſimiliter ſuperveniunt eryſipelata febribus ſimplicibus, malignis, peſtilentibus; ex uberiori aut craſſiori ſucco perſpiratorio ſanguinem inquinante. Imo & morbilli, cum turget ſanguis eo ſucco, quo ſemel aut bis debet in vita depurari.

DIAGNOSIS.

Facile dignoſcitur eryſipelas ex tumore partis ſuperficiario, nec faſtigiato, ex calore deurenti, ex rubore roſeo qui preſſione mutatur. Hoc ſimplex dicitur, eique competit jam tradita definitio. Compoſitum dixeris, quod fuerit cum tumore alterius ge-

neris complicatum; v. g. eryſipelas erit phlegmonodes, cum fuerit aliquatenus circumſcriptum, firmitudinem aliquam & obſcuram pulſationem obtinuerit, ſed & colorem roſeum & calorem deurentem. Oedematoſum vero cenſebitur, aut ſcirrhoſum, prout ad alterutrius indolem acceſſerit, ſed magis eryſipelatis obtinuerit naturam.

Jam ſupra memoratum eſt in capite primo, quibus ſignis ſimplex eryſipelas a phlegmone ſimplici diſtinguatur. Ecce quo pacto diſtinguatur ab oedemate ſimplici, a ſimplici ſcirrho. Eryſipelas calet, rubet, dolet; oedema friget, pallet, indolens eſt; utrumque cedunt tactui, ſed calorem mutat eryſipelas digito preſſum, oedema non mutat. Erit autem oedematodes eryſipelas, cum in partibus finitimis ſingulatim apparuerint hujuſmodi tumorum ſigna, ſed in majori parte ſigna eryſipelatis. His ſignis diſtinguetur a ſcirrho; eryſipelas eſt molle, calidum, rubore roſeo tinctum; ſcirrhus vero durus eſt ac renitens, frigidus eſt, pallidus eſt. Et eryſipelas erit ſcirrhodes, ſi tumor altera ſui parte, ſed majori fuerit eryſipelas, altera ſcirrhus.

Di-

Dividunt alii eryſipelas in criticum & ſympathicum. Criticum vocant, quod per ſe ex critica ſanguinis depuratione producitur, ut morbilli; ſympathicum vero, quod alterius morbi ſymptoma eſt; veluti cum ſupervenit febribus malignis, podagrae, vulneribus, fracturis.

Dignoſcitur quoque ex invaſionis modo, utrum procedat eryſipelas a ſimplici cutis conſtipatione, an a ſanguinis vitio. Procedere a ſimplici pororum conſtipatione cenſebis, cum oritur ſine febre, aut cum in tumoris augmento accenditur. Et a ſanguinis vitio, cum totius corporis horrores & febris tumorem anteceſſerint. Hoc in caſu febris comitatur eryſipelas per totum ejus decurſum, tuncque varia ſibi ſuccedunt eryſipelata in variis corporis partibus, etiam remotiſſimis.

Hypochondriacos & ſcorbuticos ſaepe tentant eryſipelata erratica, haec foventur a contumacibus abdominis obſtructionibus, quarum cauſa inquinatur ſordibus maſſa ſanguinea. Utrum hinc proficiſcatur ſanguinis labes, ex propriis obſtructionum ſignis & aegri conſtitutione venaberis. Et certo pronunciabis lac uterinum ad eryſi-

pelata concurrere, cum catamenia ſuppreſſa fuerint, & ſtatis catameniorum temporibus naſcantur eryſipelata.

PROGNOSIS.

Acutus morbus eſt eryſipelas, & plerumque intra dies duodecim terminatur, ſaepe ad ſalutem, nonnunquam ad mortem. Ad ſalutem cum ſimplex eſt ac particulare, cum ab externa cauſa, & abſque notabili totius ſanguinis vitio. Ad ſalutem quoque cum ſanguis craſſiori perſpiratione refertus per externum eryſipelas quaſi critice defaecatur, cum ab internis partibus ſerpit ad externas. Hinc affectu ſoporoſo vel delirio correptus, ſi ſtatim liberam & ſanam mentem, prout ſe prodit eryſipelas in facie, recuperet, tunc illud cenſebitur ſalutare. Idem dicas de pleuritide, de peripneumonia, aliiſque internis affectibus, cum ſupervenerit externum eryſipelas. Et ex adverſo, cum ſerpit eryſipelas ab externa parte ad internam, graviſſima inducit ſymptomata, in capite deliria, affectus ſoporoſos, in pectore pleuritidem, peripneumoniam, in abdomine cardialgias, vomitus, dyſenterias,

terias. Haec Hippocrates obſervaverat, cum haec verba protulit: Eryſipelas foris intro converti, malum; intus vero foras, bonum. Aph. 25. Sect. 5.

Cum eryſipelas gravidum afficit uterum, tunc ſuccus perſpiratorius foetum enecat; nec contrahi poteſt uterus inflammatione diſtenſus, hinc foetus perit & gravida. Teſtis eſt Hippocrates; Si mulieri praegnanti, ait, eryſipelas fiat in utero, lethale. Aph. 45. Sect. 5.

Lethale quoque eryſipelas univerſale, quod recens natos aggreditur ex inhibita totius corporis perſpiratione. Quas non excitat tragoedias ſuccus perſpiratorius in tenello corpore, quod mox ante in utero perſpiratione diffluebat? Ut tam infeſtum vitetur periculum, moris eſt, recens natos mollibus involvere linteis, fovere, nec aeri libero exponere. Externum eryſipelas particulare ſaepius non periculoſum, ſi ſimplex: ſi complicatum, exitus eſt dubii. Si ſupervenerit ſymptomatice vulneri, oſſium denudationi, fracturae, vel ſi ſuppuretur aut putreſcat, periculum intentat ex Hippocrate: Ab oſſis denudatione eryſipelas, malum. Aph. 19. Sect. 7. & ſequenti, Ab eryſipelate putredo aut ſuppuratio, malum.

Et

Et ideo ſuperveniens eryſipelas magnis vulneribus, fracturis complicatis, oſſium denudationi, infeſtum eſt; quod vaſa partis ſanguine ultra modum aeſtuante diſtenſa plurimum obſtent, ne ſolutae carnes ſuccreſcant, obteganturque oſſa denudata. Simili pacto non poteſt perfecta eſſe ſuppuratio, quae accidit eryſipelati; quia vaſa ultra modum diſtenſa ſuccos non admittunt facile, & ita fruſtatur vulnus ſufficienti ſuppuratione. Porro ſuppuratione retenta accerſitur putredo, gangraena, ſphacelus; ſed & vulnera, fracturae, poſtulant arctius faſciis religari, eryſipelas vero laxis, ut libere fiat perſpiratio. Itaque aut officient vulneri, fracturae, faſciae laxae, aut infeſtae futurae ſunt eryſipelati ſtrictae. Nec praetermittendum, perſpirationem obruere medicamenta, quae vulneribus & fracturis opponuntur. Ex quibus ſingulis fit, ut periculoſa ſint eryſipelata, quae vulneribus, fracturis, & oſſium denudationi accidunt.

CURATIO.

Ideo pars in eryſipelate inflammatur & tumet, quod in ea ſanguis praeter modum con-

congeratur, aeſtuet, uberiori vel craſſiori inquinatus ſucco perſpiratorio. Quocirca precipuae indicationes ſunt, ut compeſcatur ſanguinis motus, attenuetur craſſior ſuccus perſpiratorius & patefiat via liberalius in parte collecto. Haec perficies variis & contrariis auxiliis, pro varia ſanguinis conditione, pro morbi temporibus, pro ratione partis affectae. Alio quoque pacto tractandum eryſipelas, cum ſanguis in affecta parte dumtaxat afficitur ab externa cauſa; alio cum tota ſanguinis maſſa craſſiori vel uberiori ſucco perſpiratorio gravis eſt. Incipienti eryſipelati conveniunt ſaepe cardiaca, diaphoretica, ſudorifica: jam facto, refrigerantia & anodina: declinanti cathartica leviora. Nocent topica in eryſipelate faciei. Nocent in omni eryſipelate oleoſa, frigida, repercutientia. Nocent jam facto, quae convenirent interdum cum fieret.

In eo caſu, quo ſanguis fuerit rite conſtitutus, nec niſi ab impedita tranſpiratione in eryſipelas collectus, in principio tranſpiratio procuretur, eamque ob cauſam jubeat medicus, ut in cubiculo exquiſite clauſo fruatur aeger aere moderate calido, & caute vitet frigidum; ut in lecto jaceat, pluſque

pluſque ſubito ſtramentis obducatur, ac tenui utatur victus ratione. Praeſcribantur cardiaca & diaphoretica leviora variis formulis. v. g.

℞ *Aquar. cichor. & buglos. ana ℥ 3. pulver. viperini gr. 12. aquae flor. arantiorum cochlearia tria, cum tantillo confectionis de hyacinth. miſce, f. potio cardiaca. Quae agitetur cum jam fuerit haurienda.*

In eryſipelatis augmento diligenter obſervabis, an ſimplex ſit, an ſine periculo, an contra. In priori caſu una aut altera venae ſectio ſatis erit; iteretur vero in poſteriori pro aegri viribus & vaſorum repletione. Nimirum ne tumor phlegmone complicetur, ne ſanguis offendens in viam impeditam in vaſa finitima derivetur, & interna petat. In utroque autem caſu conveniunt ſingulis diebus enemata emollientia & laxantia; ſcilicet ne indurata retentaque inteſtinorum ſaburra minus liberum efficiat per abdominis viſcera ſanguinis circuitum, & ita remote concurrat ad fovendum eryſipelatis infarctum.

Quando

Quando morbus in ſtatu eſt, infeſtat calor deurens, qui ſaepe vigilias procreat diuturniores & cuticulam in veſiculas ſublevat. His ſuccurres. Vulgaribus emulſionibus, aut refrigerantibus julepis, quibus addes, ſed caute, narcotica. Et potus erit ordinarius ptiſana ex diureticis frigidis. Accedente vero declinatione, utendum catharticis, ut quae remanet in affecta parte craſſior perſpirationis materia, tenuetur, a praetervecto ſanguine rapiatur, & hinc per ſeceſſum eliminetur.

Hactenus de curatione adminiſtranda, cum ſanguinis maſſa non fuerit craſſiori ſucco perſpiratorio inquinata, aut gravis uberiori. At ſi fuerit alterutrum aut utrumque; quod demonſtrant totius corporis horrores & rigores, tunc ſtatim ac ſeſe prodiderit eryſipelas, ad potentiora cardiaca & ſudorifica confugiendum. Hujuſmodi ſunt theriaca vetus, confectio alkermes, bezoardica varia, antimonium diaphoreticum, antihecticum poterii, ambra griſea, pulvis viperinus, viperinum ſal, ſal volatile oleoſum Sylvii, ſal cranii humani, & ſimilia.

℞ *Aquar. ſcabioſae, card. benedict. & papav. Rheados ana* ℥ 2. *theriacae vet. & antimon. diaphor. recenter parati ana* ʒ 1. *pulveris viperin.* ʒ ß. *miſce, f. potio ſudorif. uno hauſtu ſumenda. Dein corpus obtegatur in lecto per horam ad ſudorem promovendum.*

℞ *Aquar. cordialium proxime memoratar.* ℥ 6. *bezoardicorum orientalis & mineralis ana* ℈ 1. *ſalis volatilis oleoſi Sylvii gr.* 12. *ambrae griſeae gr.* 1. *& tantillum confectionis alkermes, miſce, fiat potio cardiaca, de qua utatur ex cochleario.*

Cardiacis hujuſmodi per totum morbi principium inſiſtendum eſt. Per augmentum vero ita diſtingue, ſi febris intendatur ſimulque magis ac magis accendatur eryſipelas, tunc cardiaca leviora praeſcribenda ſunt, ſudorificis vero penitus abſtinendum ac diaphoreticis, utpote nocentibus, cum eo minus calet & rubet tumor, quo magis febris accenditur. Juvabitur autem progreſſus eryſipelatis iteratis venae ſectionibus, refrigerantibus, anodinis, narcoticis,

coticis, quibus compeſcitur ſanguinis aeſtus, internarum partium inflammatio praecavetur, liberior fit perſpiratio, facilius eryſipelas ſe prodit. Omnino eadem ſequenda praxis in exortu eryſipelatis, quae in variolarum & morbillorum, quae parva ſunt eryſipelata, eruptione. Dum erumpunt facile variolae ac morbilli, abſtinemus a venae ſectionibus, cardiacis & ſudorificis inſiſtimus. Cum vero febris intenſior obſtat eruptioni, tunc praecipimus venae ſectiones, cardiacis abſtinemus.

De augmento quoque dicendum, quod ſi dum ſe prodit eryſipelas, graviora quoque ſe prodant ſymptomata, affectus ſoporoſi, deliria, convulſiones, ut interdum fit in variolis & morbillis; tunc ſatis non ſunt cardiaca, aut venae ſectiones, nimirum pro vario ſanguinis ſtatu, ſed & ratione ſymptomatum recurrendum eſt ad cathartica fortiora, imo & ad emetica, ut concuſſo toto tempore reſtituatur ſanguini liberior circuitus, tenuetur craſſior ſuccus perſpiratorius, & uberior per ſeceſſum, per vomitum ejiciatur. Quo facto languidus ſuſcitabitur eryſipelatis progreſſus, produceturque feliciter ad ſtatum.

Quid jam in ſtatu agendum eſt, cum conjungitur eryſipelas cum ſanguine inquinato? Alia id non indiget curatione, quam quae in augmento praeſcripta eſt. Hoc unum diligenter obſervabis, ut lenioribus catharticis, craſſior & exuperans in ſanguine materia perſpirationis ſenſim incidatur, ac per ſeceſſum eliminetur; ita enim & febri proſpicies & eryſipelati, utriuſque cauſam foventem ambigendo. Praeſcribatur ergo potio purgans quae ſequitur, aut alia ſimilis.

℞ *Sennae mundatae* ℥ ß *ſeminis contra. & aniſi contuſorum pugil.* 1. *granor. lini contuſorum* ʒ 2. *ſalis vegetabilis* ʒ 1 ß *infundantur tepide per noctem in ſufficienti quantitate decocti foliorum aut capilli veneris, aut cichorei, aut pimpinellae. In colatura ad libram unam, diſſolve mannae* ℥ 2. *electuarii diacarthami* ʒ 2. *fiat potio pro duabus doſibus, ſumendis mane interjecto juſculo vulgari, ſervatis ſervandis.*

Hactenus dictum eſt de medici officio, jam de chirurgi dicendum. Et primo quidem

dem licet plura videantur convenire eryſipelati remedia, quae phlegmone conveniunt ob ſimiles indicationes, ut haerentis in parte ſanguinis aeſtus compeſcatur, ut liber procuretur ſanguinis per partem tranſitus, certum tamen ſit experientia plurimum nocere in eryſipelate topica, quae feliciter adhibentur in phlegmone. Dura enim eſt phlegmone, ſublimis & circumſcripta; nec ſerpit a parte in partem. Humile vero eryſipelas, molle, non circumſcriptum & ſerpit. Hinc comprimi eryſipelas non debet, phlegmone debet; in facta phlegmone procuranda eſt ſuppuratio, perſpiratio in eryſipelate. Topica juvant ſuppurationem, perſpirationem cohibent, ſiſtuntque. Adhibita in eryſipelatis principio topica repellentia, adſtringentia, exſiccantia, exſiccant molliora vaſa partis affectae, poros ejus claudunt, retinent & cogunt ſuccum perſpiratorium, qui viam praecludens ſanguini appellenti, in cauſa eſt ut diſrumpantur vaſcula, effluatque ſanguis, qui extra vaſa putreſcit, gangraenam parit & ſphacelum. Dubitas? En hiſtoriam. Duodecim ferme ab hinc annis hac in urbe chirurgus, alioquin peritiſſimus, ut calorem deurentis eryſipelatis ſibi in pede obo-

oborientis ſedaret, ei vulgare acetum vini per aliquot dies impoſuit; hinc gangraena & ſphacelus, pes abſciſſus, aeger fato functus. Caveto pariter ne jam facto eryſipelati imponas reſolventia. Haerens enim in parte ſanguis, & magis aeſtuans, hinc magis etiam agitaretur, concitaretur, vaſa diſrumperet, inferretque parti & aegro perniciem proxime memoratam. Oleoſa quoque infenſa & peſtifera ſunt in eryſipelate, laxata enim partis vaſa ulterius laxant & obſtipant poros, unde intentatur infortunium. Audi Fabricium Hildanum. Ruſticus quidam, ait, eryſipelate phlegmonode in ſiniſtra manu laborans, ex tonſoris conſilio ſibi inunxit per aliquot dies manum & brachium oleo roſaceo, unde dolores, inflammatio aliaque ſymptomata magis magiſque ingraveſcebant, ita ut tandem gangraena correpta ſit tota manus. Cent. 1. Obſerv. 82.

Ergo nullum plane topicum eſt, nihil oleoſum, quod non ſit in eryſipelate peſtilens. Nec eryſipelatis veſiculae ſunt aperiendae, multo minus topicis tractandae; per ſe quidem diſrumpuntur; contentum ſerum calore partis diſcutitur, exſiccatur

cu-

cuticula, in ſquamas abit. Unicum tamen topicum excipimus, quod motum fovet in ſanguine, perſpirationem juvat, tumoris ſervat mollitiem: hoc vinum eſt tepidum, quo non fruſtra pars ablui poteſt, ipſique linteum vino madidum identidem imponi. Eodem pacto & ob eaſdem cauſas vinum ſalubriter applicatur in omni combuſtionis genere.

Sed naturalis faciei perſpiratio ſubtilior eſt & aequabilior, quam ut ullum topicum, ne quidem tenue linteum vino tepido madidum applicari debeat ejus eryſipelati. Exiliſſimos faciei poros ſi utcumque occluſerit ipſa lintei applicatio, exaſperabitur eryſipelas, & nova in aliis partibus exorientur. Si quocumque topico ingraveſcat eryſipelas faciei, fiet ex humorum effuſione, aut ut id periculoſe intropellatur, aut vertatur in phlegmonem, aut in carbunculum, aut gangraenam & ſphacelum.

CAP.

CAP. IV.

De OEdemate.

LICET oedema ſonet Graece ſolummodo tumorem, hoc tamen vulgo accipitur apud medicos pro tumore corporis humani albo, molli, laxo, doloris & caloris experte, producto ab humore pituitoſo praeter naturam collecto; unde & ſymptomatum eſſentialium ratione oedema poteſt definiri, tumor humoralis albus, mollis, laxus, indolens & frigidus.

Nulla eſt humani corporis ſolida pars, quae non conſtet vaſis ſanguiferis & lymphaticis. Rubet ergo a copioſiori ſanguine, cum rubet; albeſcit vero a lympha copioſiori, cum albeſcit. Adnata oculi tunica utriuſque generis vaſa obtinet, ſed quia lymphatica ejus vaſa magis naturaliter turgent lympha, quam ſanguifera ſanguine, tunica haec naturaliter albeſcit; contra vero rubet, cum ſanguifera ejus vaſa multo magis ſunt diſtenta ſanguine, quam lympha lymphatica, ut in ophthalmia. Extra

tra aleam eſt, in omni inflammatione rubere partem affectam, quod vaſa ejus ſanguifera ſanguine inferciantur. Idemque manifeſtum fit ex jam propoſita phlegmones & eryſipelatis theoria. Ergo & a pari, cum oedemate tentatur pars, praeter naturam albeſcit, quia lympha ſingulae ipſius particulae inferciuntur, membranoſae ſcilicet particulae, tendinoſae, nerveae, carnoſae.

Aqua elue partem quam libuerit diſſecti cadaveris, aut ſatis diu macera in aqua limpida, mutata ſubinde aqua, aut etiam abſterge linteo: ipſe videbis nullam eſſe corporis partem ſolidam, quae per ſe non ſit alba; ergo non niſi ab irrorante ſanguine rubicundo rubuerat. Amplius ſanguis ipſe, naturaliter rubeus, multo majori conſtat globulorum limpidorum & albeſcentium copia, quam rubeorum; iſque dum ab arteriis traducitur lege circulationis in venas, ne quidem apparet rubeus, ut obſervatur microſcopio. Tantus eſt globulorum limpidorum exuperans in eo tranſitu numerus, ut numerum rubeorum abſorbeat. Vide capillos, qui quamquam & ſuis vaſis donentur ſanguiferis, rariſſime

O rubent,

bent, & vulgo percipiuntur microſcopii beneficio limpidi ac pellucidi. Item albi fiunt in aetate provectiori, quod exſicca tunc eorum vaſa ſanguifera, vix quidquam ſanguinis admittant. Oſſa vero ac praeſertim dentes albeſcunt ob vaſorum ſanguiferorum exilitatem. Omnino, ſanguis per anguſtiores vias traductus, lympha inundatur.

Quorſum haec? ut liquido appareat albedinem oedematis eſſe a copioſiori lympha proxime deducendam. Cum vero lympha tenuior praeter naturam in parte colligitur, congeſtione ſua partem ſublevat. Et ſicut charta ſero madida laxatur & remolleſcit, ita pars humani corporis ſero ſucci lymphatici imbibita non poteſt non eſſe mollis & laxa, tactui cedere, veſtigiumque impreſſi digiti aliquandiu ſervare.

Admiſſa haec in partibus nerveis laxitas in cauſa eſt, ut & fibrillae impreſſioni cedant, nec poſſint valide ad cerebrum uſque moveri. Hinc oedema indolens. Tenduntur ultra modum febrillae in phlegmone & eryſipelate, unde ſenſus exquiſitior, acriorque dolor. Igitur ex adverſo non dolebit oedema, quia laxantur in eo affectae fibrae. Sanguis luxurians e latere

vaſorum

vaſorum valide concutitur, ideoque calorem habet comitem; lympha ſeroſior tunicas vaſorum relaxat, unde calorem extinguit. Ergo frigidum erit oedema, ob congeſtam uberiori copia lympham.

Cauſa proxima & immediata oedematis eſt lympha ſeroſior in parte ſenſim depoſita & aggeſta, ut jam demonſtratum. Sed & concurrunt ad oedema producendum, quaecumque circuitum ſanguinis venoſi difficilem efficiunt. Sunt in venis lateralia quaedam ſpiracula vel potius vaſorum lymphaticorum origines. Rubicundi ſanguinis globuli nequeunt per ea ſpiracula diffluere. Cum ergo fit ex quacumque cauſa, veluti ex compreſſione, obſtructione, externa ligatura, ut remoretur ſanguis in venis minoribus, non poteſt lympha perpetuo appellens non reddi ſeroſior, non dilabi majori, quam par foret, copia per ſpiracula venarum; non poteſt lympha ſic uberius fluens non dilatare, non relaxare amplius, quam natura expoſcit venarum ſpiracula. 1. Injice vinculum venis cruralibus canis viventis, tumebunt ſenſim ex depoſitis ſero & lympha ipſius pedes & crura. 2. Liga filo externum ejus jugularem, exteriora illius

capitis fient oedematoſa. 3. Cur gravidarum pedes, tibiae, crura ſaepe tentantur oedemate, niſi quod uterus ita comprimat venas ipſarum iliacas, ut nequeat ſanguis niſi difficulter ab inferioribus partibus revehi? 4. Si poſt venae ſectionem injecta fuerit fortior ligatura, ſenſim intumeſcet infra ligaturam tota manus, & pars inferior brachii. 5. Cum tument axillarum glandulae, comprimuntur venae axillares, brachium redditur oedematoſum. 6. Unde fit ut in chloroſi, ſive ut aiunt, pallidis virginum coloribus, pedes ſaepius tumeant oedematoſi, niſi quod obſtructa abdominis viſcera difficiliorem faciant ſanguinis revectionem? Et unde tumores oedematoſi non ſemel accidunt iis, qui a gravi ac diuturno morbo convaleſcunt, item poſt crebriores venae ſectiones, poſt copioſiores haemorrhagias, niſi ex eo quod collapſae ex defectu praeternaturali liquidi venae capillares, aegre poſſunt ſanguinem ad majores truncos dimittere? Perſuaſum ergo ſit, quae poſſunt currenti ſanguini remoram injicere, ea cuncta concurrere ad oedematis productionem.

Con-

Concurrunt quoque quae poſſunt lympham reddere ſeroſiorem, quaeque poſſunt ſeroſorum humorum excretionem cohibere. Haec autem deduces facili negotio ex abuſu ſex rerum non naturalium, v. g. ex aere frigido, nebuloſo, paluſtri, ex aquoſioribus cibo, potuque, ex vita torpenti & otioſa, ex diuturniori ſomno, ex immodico ſanguinis effluxu, ex retento diutius lotio, ex impenſis curis, moerore, triſtitia, aliiſque ſimilibus. Eaque remote concurrunt, nempe vel obtundendo motus humorum, vel ſanguinem efficiendo ſeroſiorem; tunc enim lympha ſeroſior ſenſim aggeritur in propriis ductibus, ductus ſuos aggeſta diſtendit, oedema facit.

Oedema plerumque fit per congeſtionem, interdum per fluxionem. Per congeſtionem, cum lympha, quae humor eſt recrementitius, pedetentim fit ſeroſior, & ſenſim in propriis vaſis colligitur, aggeritur, cumulatur. Per fluxionem vero, cum fit ex ſubitanea quadam venarum compreſſione, ut lympha reddatur ſeroſior & uberiori copia obruat haec vaſa, eaque praeter naturam relaxet. Sic ſaepe finitimae partes vulneris, eryſipelatis, phlegmones, fiunt per fluxionem oede-

oedematoſae, ob repente compreſſas venas. Idem quoque fieri putamus in interno cerebro, cum corripit apoplexia & catalepſis. Prompte ſiquidem relaxantur in catalepſi ſolae emporii fibrae, in apoplexia vero ſoli nervorum trunci; ſcilicet quod ex impedito ſanguinis tranſcurſu ſeroſiori lympha imbuantur mox memoratae cerebri partes. Sequens obſervatio fidem facit, oedema per ſubitam fluxionem interdum fieri. Civis Monſpelienſis nomine Joannes Gaillard, vigeſimum circiter annum agens, altum ingreſſus, dum ſudaret, puteum, per horae ſemiquadrantem in fundo moratus eſt, eductuſque toto corpore fuit oedematoſus. Idem fere iis accidit, qui per noctem unicam in loco paluſtri aut humidiori decubuerint; oedematoſi ſiquidem craſtino mane ſurrexerunt, vel facie, vel manibus, vel pedibus, totoque interdum corpore. Unde tumefactiones ejuſmodi? niſi quia ſeroſus latex ſanguinem inundavit, ſeſe protinus in propria recepit vaſa, ibique ultra modum collectus partes ſublevavit.

DIAGNOSIS.

Viſu & tactu oedema dignoſcitur, tumor hic plerumque ſuperficiarius eſt & complanatus, interdum ſe magis attollit & circumſcriptus eſt. Qui ſuperficiarius eſt, dicitur a pleriſque tumor oedematoſus; qui vero circumſcriptus eſt, oedema proprie nuncupatur. Oedema rectius tumor aquoſus diceretur, ut hydrocele, cujus circumſcriptio magis pendet a ſcroto naturaliter figurato & circumſcripto, quam ab ipſo humore. Scroti enim tegumenta ſero perfunduntur, aut etiam effuſum ſerum cavitas ejus continet. Sed hydrocele ad hernias ſpurias eſt referenda.

Comprime digito oedema, ſi protinus deleatur preſſionis veſtigium, ſeſeque tumor reſtituat, humores erunt in propriis vaſis congeſti, non effuſi extra vaſa; ſi non niſi tarde, ſumma erit in parte laxitas, & dubia erit extravaſatio. Si tempore compreſſionis fluctuationem perceperis, nec tumor reſtituatur, certa tunc erit humorum extravaſatio. At ſemper affecta pars mollis eſt, ceditque tactui.

Symp-

Symptomaticus aut eſſentialis eſt tumor oedematoſus. Symptomaticus, cum alterius morbi comes eſt. Ita in ultimo phthiſeos gradu, in chloroſi, variis hydropum ſpeciebus, oedematoſi ſunt ſaepe ſaepius pedes horis ſerotinis, facies vero matutinis. Stante ſiquidem per diem corpore, ſanguis ſeroſior revehere non poteſt totam, quam ſecum trahit, lympham. Senſim ab ea exſolvitur, & in partibus inferioribus morantem relinquit. Et quia per noctem corpus decumbens prope ad libellam compoſitum eſt, ſanguis per pedes praeterfluens dimiſſam interdiu lympham reſorbet ac revehit, unde noctu pedes detumeſcunt. Interim vero facies ſenſim oedematoſa fit, nimirum ob compreſſas aliquatenus venas jugulares, & ita ſenſim factam vaſorum ſuorum lymphaticorum repletionem ac diſtenſionem, eo pacto quo brachium fit ex fortiori ligatura, poſt venae ſectionem, oedematoſum. Tumor oedematoſus erit eſſentialis, cum ex proprio partis vitio ortum duxerit, qualis eſt ille qui ex ſimplici venarum compreſſione procreatur.

Solum partis vitium argues, ſi pars haec conſtanter afficiatur, corpore reliquo ſano

&

& incolumi. Cacochymia vero fovebitur ſeroſiori, ſi variae partes afficiantur, vel etiam totum corpus.

Datur oedema univerſale, cum totum corpus ſero & lympha tumet. Diciturque leucophlegmatica, cum tumet minus; anaſarca vero, cum magis. Porro anaſarca eſt hydropis ſpecies. Datur & particulare, quod ab affecta parte ſortitur ut plurimum denominationem. Idemque vel conſtans eſt, fixum & permanens, vel vagum, periodicum, & erraticum. Virgines cacochymae periodice patiuntur, antequam erumpant ipſis menſes, tumores oedematoſos in facie, in pedibus, manibuſque; patiuntur viri, ſed erratice ac particulariter, poſt erraticum ac immoderatum fluxum haemorrhoidalem. Patiuntur & mulieres poſt immodicum menſium & lochiorum fluxum.

PROGNOSIS.

OEdema chronicus morbus eſt, contumax, curatu difficile; nec tamen ex ſe periculum portendit, niſi committantur in curatione errores. Facilius diſcutitur particulare, quam univerſale. Facilius quod a

ſolo partis vitio, ſed ſuperabili, quam quod a totius ſanguinis vitio, aut inveteratis viſcerum obſtructionibus fovetur. Quae patiuntur gravidae in cruribus & pedibus, excluſo foetu per ſe & ſine remediis evaneſcunt. Quae patiuntur virgines in chloroſi oedemata particularia, curata chloroſi debellantur. Quod ſe prodit oedema in ultimo phthiſeos gradu incurabile eſt; quia confirmata phthiſis incurabilis. Si podagricis ſuperveniant oedematoſi articulorum tumores, acres eorum dolores mitigant, intenſiorem podagrae calorem obtundunt. Fit enim ex collecta in articulis uberiori lympha, ut laxentur partes nimium tenſae, ac remittatur ipſarum calor. Oedemata quae circa vulnera & ulcera oboriuntur, obſtant ne promoveatur felix ſuppuratio, ne ſolutae partes uniantur; obtundunt enim calorem naturalem, tonumque pervertunt partium. Hyeme & autumno frequentiora ſunt, diſcutiunturque difficilius, quam tempore verno & aeſtivo. Saepius invadunt pueros ac ſenes, quam adoleſcentes ac juvenes.

Reſolutione plerumque terminatur oedema, nunquam ſuppuratione, induratione raro

ro, nonnumquam gangraena. Reſolvitur, quod plerumque ex ſimplici congeſti humoris lymphatici in vaſis propriis haeſitatione producatur; numquam per ſe ſuppuratur, quia ſemper frigidum; quia laxum &molle, raro induratur; in gangraenam interdum deſinit, quia frigidum, laxum, molle, ac prope exanimata pars, quae ſi praepoſterius obruatur topicis, fit prorſus funerata.

CURATIO.

In curando oedemate habenda potiſſimum ratio ſeri praeter naturam collecti; id per proprias & accommodatas vias eliminandum eſt, per ſeceſſum, per diureſim, interdum per diaphoreſim & ſudores. Utere reſolventibus & exsiccantibus, ut firmetur pars laxa, ut aperiatur currenti ſanguini via liberior. Oedema per ſe numquam expoſtulat venae ſectionem, quae vaſa partis jam laxa laxaret, quae jam imminutum in parte calorem, magis etiam obtunderet.

Ut haerentem lympham commodius poſſis diſcutere, attende ad remotam ac foventem morbi cauſam; diligenter expende, an oedema ſymptoma ſit morbi alterius, pri-

uſque morbum hunc tolle. Si luem venercam frictionibus curaveris, evaneſcet oedema venereum; ſecus non cedet remediis. Chloroſi proſpice, & oedematoſis virginum chloroſi laborantium pedibus proſpexeris. Periculum foret, ſi neglectis internis remediis admoveres pedibus exſiccantia topica, ne aſcitem, ne lethalem pectoris hydropem induceres. Poſteriorem hanc hydropis ſpeciem plerumque antecedit oedematoſa pedum intumeſcentia.

Cum vitioſa chyloſis ſeroſiorem fecerit ſanguinem, tunc aggredieris oedema ſimplex iteratis catharticis, ac praeſertim hydragogis. Haec ſanguinem liquefaciunt, a lympha viſcidiori ſolvunt, excitantque ſua ſuccutione inteſtina, ut ſecretum ſerum abigant. Praeſcribatur ergo ſequens aut ſimilis potio purgans.

℞ *Sennae mundatae* ʒ 3. *florum perſicorum pugillum unum, roſae moſchatae exſiccatae* ʒß. *ſalis polycreſti* ʒj. *infundantur tepide per noctem in ſufficienti quantitate decocti centaurei minoris & chamedris, colaturae* ℥6. *adde ſyrupi de rhamno cathartico* ℥i. *aut in*

ejus

ejus deficientis locum infuſionis florum perſicorum ℥2. jalapi pulverati gr. 12. f. potio ſumenda mane, ut mox eſt & iteranda ſemel aut bis in hebdomada, pro neceſſitate.

Cum oedema fuerit univerſale, & hydrops immineat, aut jam conjunctus ſit, & haec ex vitioſa chyloſi pariter oriantur, ad tincturam illam hydragogam recurrendum, quae pluribus abhinc annis ſucceſſit feliciter.

℞ *Radicum ireos Florentinae exſiccatae, & jalapi pulveratorum partes aequales; reponantur in matracio vitreo, ſuperaffundendo aquae vitae vulgaris ad ſupereminentiam quatuor tranſverſorum digitorum; obturatum matracium exponatur balneo cinerum per 24 horas, materiam identiden agitando, ut educatur tinctura hydragoga uſui ſervanda.*

Tinctura haec variis doſibus exhibetur, procedendo gradatim per ſemi uncias, nimirum ab ℥ß. ad ℥2. ſumitur mane jejuno ventriculo, & per 15 aut 20 dies continuatur. Id autem

tem habet ſingulare, quod & ſerum in ſanguinis maſſa luxurians & haerens ubique in propriis vaſis & extra vaſa effuſum ſenſim per ſeceſſum evacuet, in caſu propoſito.

In eo autem caſu, quo ſeroſior ſanguinis & lymphae conſtitutio inducta fuerit a diuturno potulentorum aquoſorum uſu, tunc prorſus a liquidis abſtinebit aeger, quantumvis prematur ſiti, ſolumque veſcatur cibis ſolidis, ſiccisque; eo quippe modo expurgabitur per ſe ſerum luxurians per ductus urinoſos. Sic per ſe diſcuſſa vidimus oedemata etiam univerſalia. Lotium, tartarea ſanguinis faex, non poteſt abſque copioſo phlegmate expurgari. Unde per repetitos ſanguinis circuitus ſeri colluvies ſenſim abſumitur. Sed obſervabis, dum ſicca haec diaeta ſervabitur, an liberaliter profluant urinae; quae ſi minus profluant liberaliter, tunc praeſcribes diuretica calida, ut impeditas renum vias liberes, ut lympham viſcoſiorem ſolvas.

℞ *Summitatum pimpinell. folior. capill. veneris & politric. exſiccatorum a. tertiam partem manipuli unius, projiciantur in aquam fontanam bullientem ad*

ad ℔3. & vas ab igne removeatur, ſibique permittatur infuſio, donec perfecte decaluerit. Filtretur dehinc infuſio, & ſervetur ad uſum.

Lenis haec ptiſana, non ingrata guſtui, aegro potus erit ordinarius, non tantum in paſtu, ſed etiam extra, & bis, ter, quaterve prandium inter & coenam; ſique urinas facile moveat, uſui eſto per menſem integrum & ultra. Hujus proprium eſt oedemata jam facta diſcutere, & futura praecavere.

Quoties ſerum exuperans expurgare volueris, partim per urinas, partim per ſeceſſum, ſatis non erit diuretica & cathartica alternatim praeſcribere. Hinc enim fit, ut determinato per catharticum ad inteſtina ſero, renes relinquantur ſicci, ideoque minus apti ad ſeri excretionem. Sed renes ſimul & inteſtina laxabis, ut certum experientia factum eſt, ſi praeſcripſeris ſal policreſtum in decocto parietariae ſolutum ſub hac formula.

℞ *Foliorum parietariae recentium & mundatorum, manipulum unum, leviter bulliat in aquae fontanae ℔1. in cola-*

colatura & expreſſione diſſolve ſatis policreſti vulgaris ʒ2. aeger capiat mane jejuno ventriculo, duabus doſibus, interjecta hora, repetatur idem medicamentum per aliquot dies.

Cum vero oedema ortum duxerit a longo decubitu in loco paluſtri, humidiore aere, ſimilibuſque, uſui ſunt diaphoretica, & ſudorifica; quorum formulae jam ſuperius traditae ſunt in curatione eryſipelatis. Idque maxime in quibus fuerit diſpoſitio ad ſudores, fuerintque pigra inteſtina & renes.

Poſtremo topica reſolventia & exſiccantia ſaepe ſunt oedemati applicanda. Excerpantur autem ex tradita curatione phlegmones. Sed ad curandum oedema, quod exortum fuerit circa oras vulnerum, ulcerumque, convenit praeſertim ſpiritus ſalis ammoniaci.

Caeterum alii tumores oedematoſos faſciis & ligaturis fortiter comprimunt in cruribus ac tibiis, alii veſicatoriis aut ſcarificationibus in loco decliviori aperiunt. An tuta ſint haec auxilia, ipſi viderint. Compreſſionibus enim praeſertim fortioribus, minus liber fit ſanguinis venoſi circuitus, & ſcarificationibus non ſemel accerſitur gangraena.

CAP.

CAP. V.

De Scirrho.

SCirrhus eſt tumor humoralis, frigidus, durus, tactui renitens, doloris expers, abſque ulla nativi coloris mutatione. Humoralis quidem & frigidus, quod ex humore fiat, eoque compacto, qui utroque motu deſtitutus eſt, truſivo & inteſtino. Durus eſt & tactui renititur, ob humorem congeſtum ſimul & concretum. Doloris expers, quia facta ſenſim eſt illa humoris congeſtio, concretioque, & ita circumvecti humores ſenſim derivati patentiores ſibi vias fecerunt per partes tumori circumjacentes. Prompta vaſorum diſtenſio diductioque fit ex currentibus per viam impeditam humoribus, dolorem infert in phlegmone & eryſipelate; quae ſenſim fit in ſcirrho fit ſine ſenſu. Et quia partes ſcirrho finitimae tonum ſervant naturalem, ac naturaliter per eas circulantur humores, poteſt ſcirrhus ſine doloris ſenſu contrectari; nec mutat nativam partis co-

lorem. Unde nam mutaret? liber eſt in ſcirrhi vicinia humorum circuitus, non haeret ſanguis, qui ruborem inducat; non haeret lympha ſeroſior, quae albedinem.

Proxime igitur producitur ſcirrhus ex humore ſenſim congeſti, haerente, concreſcente, & is humor ut plurimum eſt lympha craſſior, viſcida, ſero deſtituta; interdum vero lac mammarum, lac uterinum. Imo nullus eſt humor, qui cum viſcidior eſt, ſcirrhum non poſſit producere. Ita ſuccus pancreaticus concreſcit in pancreate, bilis in hepate, humor bronchialis in pulmone, venoſus ſanguis in hepate ac liene. Haec conſtant ex apertione cadaverum & ex praxi. Concreſcunt humores in glandulis colli, axillarum, inguinum, & meſenterii. Concreſcit in univerſae cutis externae veſiculis pinguedo. Ex vitiato ſanguine lympha ubique concreſcit, cum confirmatior chloroſis eſt, cum inveterata eſt lues venerea, cum inveteratae ſunt ſtrumae.

Quodque magis eſt infauſtum, ex levi data occaſione, licet ſe bene ſanguis habeat, ſcirrhus ſoboleſcit. Pone lactis guttulam intra mammarum tentum effundi. Guttula haec niſi mox perſpiratione diſſipetur,

aut

aut reſorbeatur in ſanguinem, vel ſolo partium circumjectarum calore ſero exuitur, coagulatur, concreſcit, indureſcit. En ſcirrhi granulum. Advecta lege circuitus lactis nova guttula priori adhaereſcit, ſenſim ut prius induratur. Quo tandem abibit granulum hoc, ſi per plures dies, menſes aut annos, huic perpetuo agglutinentur appellentes lactis particulae? Quod autem jam dictum eſt de concreſcente mammarum lacte, intelligatur de lympha, & de quovis alio humore alibi concreſcente.

Ad ſcirrhi generationem concurrunt humores & vaſa. Humores cum fuerint craſſiores, ſero deſtituti, viſcoſiores. Vaſcula, ſi fuerint eorum membranae tenuiores & delicatiores. Marceſcunt enim facillime ab externa compreſſione, facillime a turbato humorum motu laeduntur, marceſcunt & exſiccantur. Si acceſſerit lympha, pinguedo, lac, qui ſunt humores lente circulantes, nec hi fuerint debita ſeri copia diluti, quid vetabit, quo minus in ejuſmodi vaſculis haereant, ea diſtendant, diſrumpantque, effluant, coagulentur, concreſcant, indureſcant? Et ſcias a non dilutis ſero lympha,

pinguedine & lacte, ſcirrhos potiſſimum generari.

Concurrit pariter, ſed remote, quicumque ſex rerum non naturalium abuſus, qui humores congerere, coagulare, qui vaſa exſiccare potis fuerit. Craſſos humores generant alimenta craſſa, cruda, dura, concoctu difficilia, vita deſes & otioſa, ſomnus diuturnior, aer frigidus & ſiccus. Concurrunt vero aer calidior, alimenta piperata, ſalia, liquores ardentes, vigiliae pertinaces, exercitia immodica, iracundia & conſimilia, quatenus ſanguinem ſero exhauriunt.

Nec fidem faciunt, qui ſcirrhoſam humorum concretionem a ſolis acidis repetunt, cum ſola ſeri penuria ſatis ſit. Idque ex eo maxime demonſtratur, quod ex praepoſtero exſiccantium topicorum uſu indureſcant in ſcirrhos eryſipelas, & phlegmone. Quo in caſu ſerum abſumitur, & areſcit pars; non vero acidis obruitur.

D I A G N O S I S.

Cum tumor ſimul fuerit durus, renitens ac doloris expers, ſcirrhus erit; iſque ſi contrectetur,

trectetur, percipietur frigidus potius quam calidus; ſed & ſenſus naturalis inerit partibus finitimis, colorque nativus.

In legitimo & perfecto ſcirrho durities ſumma eſt, tophacea, lapidea; minor vero in ſpurio & imperfecto. Sic quoque diſtingues ſcirrhum proprie dictum a tumore ſcirroſo. Scirrhus propriam obtinet circumſcriptionem; tumor ſcirrhoſus totius partis quam obſidet, v. g. ſi tota manus induruerit, tactui renitatur, indolens fuerit, ac nativo colore, tumor erit ſcirrhoſus. Si dumtaxat una mammae pars, ſcirrhus erit. Sed & unica mamma pluribus ſcirrhis poteſt obſideri. Idem dicas de parotide, quae aut ſcirrho tentabitur aut erit ſcirrhoſa. Idem quoque obſervatur in extiſpiciis de jecore, de liene, de omento, de pancreate, de utero. Moneberis quoque figuram ſcirrhi eſſe rotundam ut plurimum, interdum variam & inaequalem, idque ratione circumſcriptionis; ejus vero ſuperficiem aequam eſſe, vel aſperam & ſcabram. Et tumor ſcirrhoſus figuram partis non mutat, ſed extendit ac ſaepius exaſperat.

In univerſum, ſcirrhus nomen ducet ex affecta parte. Dicitur tamen ſpecifice ſtruma

ma in glandulis colli, ganglion in partibus tendinoſis, lupia cum in partibus aliis intumuerit. Diſtinguuntur ex eo lupia & ganglion, quod ganglion moveri nequeat niſi juxta tendinis longitudinem, utpote adhaerens tendini; lupia vero moveri poſſit quoquo verſum, utpote parti ad motum aptae adhaerens. Sed & gangliones ſunt ac lupiae, ob magnitudinis aut ſitum compreſſum, immobiles. Cum vero ſcirrhus fuerit, cum caeca quadam ſuppuratione conjunctus & concluſus in cyſtide, tunc obſcure remolleſcit, dictuſque fuit a noſtris majoribus aut ſteatoma aut meliceris. Diſtingues praeterea an ſcirrhus primarius ſit, an ſecundarius, an ſymptomaticus. Erit primarius per ſe ac ſolo partis vitio, cum naſcetur in parte abſque praegreſſo partis vitio. Secundarius cum in ipſa parte alii tumori ſucceſſerit, eryſipelati aut phlegmone: & ſymptomaticus, cum alium ſequutus morbum, ipſi fuerit conjunctus. Ita cum chloroſi, cum affectione hypochondriaca, cum ſcorbuto, cum lue venerea, ſcirrhus non ſemel conjungitur. Quod quidem oſtendunt propria talium morborum ſigna.

PROGNO-

PROGNOSIS.

Dubia prorſus & incerta ſcirrhi prognoſis eſt, tum ratione ſui, cum eventus ratione. Cum ab humore viſcoſo, coagulato, concreto, vaſa opplente procreatur, cum nullum impactus humor habet conſortium cum aliis humoribus per partes conterminas circumvectis, tunc nec diſcuti poteſt, nec reſorberi. Haec intelligas de ſcirrho perfecto, confirmato, inveterato, lapidoſo. Quem ſi contrectaris inclementius, feceris ex frigido aeſtuantem, ex ſtupido impenſe dolorificum, & ex ſcirrho cancrum interdum lethalem, incurabilem ſemper. Si ſcirrhus dolere incipiat ac mutare nativum partis colorem in rubeum, liveſcentem, nigrum, peſſimi cenſeatur ominis. Arguit enim incipientem cancrum. Scirrhus curabilis ſolum eſt, ſed raro ac difficile, in ejus principio, cum nondum penitus concrevit impactus humor, cum non eſt toto genere praeter naturam, & cum per ſe lenta ſuppuratione terminatur.

Petatur quoque ſcirrhi prognoſis ab ejus ſede ac indole. Internus externo periculoſior, & ex interno ſaepius hydrops. Adhae-

rens & fixus, quam qui mobilis. Qui partes obſidet membranoſas, tendinoſas, nerveas, articulos, quam qui partes carnoſas. In partibus carnoſis curari poteſt aut extirpari; in aliis non niſi cum ſummo periculo extirpari poteſt. Praeterea pejoris eſt ominis ſecundarius, quam primarius. Et ſymptomaticus ſequitur prognoſim morbi, cujus ſymptoma eſt. Dum fovetur ab humorum cacochymia, niſi hanc ſuſtuleris, ſcirrhus hydra erit, cujus uno exciſo capite, plura ſuccreſcunt.

Ad haec ſpectanda aetas. Scirrhoſae puerorum glandulae ſaepe, creſcente corpore, abſque remediis diſcuſſae ſunt. Eadem prorſus ratione, qua puerorum ſolvuntur epilepſiae & rachitis, ſolvuntur & illi puerorum affectus ſcirrhoſi; nimirum quia ex inaequali ſolidarum partium incremento dumtaxat oriuntur, nullaque foventur humorum cacochymia. Ita ſaepe fit in pueris ab anno quarto ad 7^{m}. vel 14^{m}. ut glandulae axillares, inguinum ac praeſertim colli ultra modum ſubleventur, circumſcribantur, indureſcant, abſque dolore & coloris mutatione. Quod ſi ſcirrhoſae ejuſmodi puerorum glandulae ſibi ipſis relinquantur, nonnunquam per ſe

diſcutiuntur

diſcutiuntur. Si vero quocumque modo exterius contrectentur, ſuppuratione terminantur. Suppurantur ſponte, dum ſtrumoſae ſunt, quia junguntur cum humorum cacochymia. Haec ſuppuratio adeo lente procedit, ut dum fit, nullo peculiari ſigno ſtipetur, & jam facta dignoſcatur ſimplici partis mollitie. Eſt quoque mollities haec interdum obſcura, quando contentum pus propria cyſtide concluditur. Illud enim pus modo pultis conſiſtentiam retinet, modo ſimile ſevo reperitur, aliquando mellis viſciditatem aemulatur. Unde tres oriuntur ſcirrhoſi tumores ſuppurati, atheroma, ſteatoma, meliceris. Quo pacto ſenſim ſuppurantur tumores hujuſmodi? Si dum ſanguis perpetuo in ſcirrhum impetit, irrepſerit per quodpiam ſcirrhi ſpiramentum, tunc ſenſim fit caeca quaedam hujus illapſi ſanguinis ſuppuratio. Hinc concluſum pus intra ſcirrhi tentum. Quod ſenſim textum illud diſſolvit. Pus, ſevum, mel, nihil aliud ſunt, quam lutum quoddam ex pure ac diſſoluto ſenſim ſcirrho ſimul permixtis; nec cyſtis praeterquam ejuſdem ſcirrhi ſuperficies nondum pure diſſoluta. Cum pure diſſolvitur ea ſuperficies, per ſe diſrumpitur cyſtis ac

tumor. Idque non ex facta per ſales corroſione, ut vulgo creditur, ſed ſimplici diſſolutione ſenſim facta. *Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſaepe cadendo.* Ita ſenſim puris guttulae ſcirrhum lapidoſum abſque ſalium vi cavant ac diſſolvunt.

CURATIO.

Dum fovetur ſcirrhus ab humorum cacochymia, ut in pallidis virginum coloribus, affectione hypochondriaca & conſimilibus, tunc ſumma haec erit curationis intentio, ut aperientibus ſimul & humectantibus corrigatur vitiata humorum qualitas, & ſolidorum motus reſtituatur. Itaque praemiſſis univerſalibus, praeſcribantur apozemata vel juſcula cum radicibus bruſci, aſparagi, rubiae tinctorum, eryngii, graminis & conſimilium; cum foliis cichorei ſylveſtris, capillor. veneris, politrici, ſcolopendriae, becabungae, & aliorum, cum ſummitatibus abſynthii minoris, fumariae, cum floribus cordialibus, cum tartaro chalibeato, vitriolato, ſolubili, aliiſque; exemplo ſint ſequentes formulae.

℞ *Radic.*

℞ *Radic. bruſci, eryngii & rubiae tinctor. a. ℥2 florum cichorei ſylveſtris, pimpinell. & capill. ven. a. m. 1. ſummitatum chamaedrys & abſynth. minor. a. m. ß. quatuor florum cordialium pugill. 1. tartari chalibeati ſolubilis ʒ2. coquantur ut mos eſt in ſ. q. aq. fontan. colaturae librae unius adde ſyrupi de althea Fernell. vel de quinque radicib. ℥2. f. apozema pro duabus doſibus, mane & ſero ſumendis, continuando per* 10 *dies.*

℞ *Croci martis aperientis ſine ſulphure parati & in nodulo ſuſpenſi,* ℈1. *rhabarbari electi contuſi & in altero nodulo pariter ſuſpenſi* ʒß. *radicum graminis & aſparagi ſyveſtris a.* ℥1. *foliorum borraginis, becabungae & ſcolopendriae a. tertiam partem manipuli unius, ſummitatum fumariae pugill.* 1. *ſalis vegetabilis* ʒß. *cum fruſtulo carnis vitulinae, vel colli vervecini & aqua fontana, f. juſculum aperiens, ſumendum mane jejuno ventriculo, continuando per decem dies.*

Aliud peculiare juſculum balneo Mariae parari ſolet cum carne vitulina, foliis cichorei ſylveſtris, cerefolio, rhabarbaro & floribus ſalis ammoniaci martialibus, quod feliciter plerumque ſuccedit in omni curabili ſcirrho, tam interno quam externo, qui ab humorum cacochymia fovetur. Formula haec eſt;

℞ *Carnis vitulinae in laminas ſectae* ℔2. *foliorum cichor. ſylveſt. minutim ſectorum m.* 2. *cerefolii pariter ſecti m.* 1. *rhabarbar. pulverat.* ℥1. *florum ſalis ammoniac. martialium. gr.* 6. *ſingula haec ſtratum ſuper ſtratum ita reponantur in vaſe terreo, ut laminae terreae herbis ſectis obtegantur; herbae vero inſpergantur memorato pulvere. Dein adde aq. fontan. vulgaris cochlearia tria vel quatuor ad ſummum. Vas diligenter obturetur & imponatur balneo Mariae per ſex horas, quibus elapſis contentam in vaſe materiam fortiter exprimito, & educe ſeptem vel* 8 *uncias ſucci percolati, quem capiet aeger mane, jejuno ventriculo, continuando per duodecim*

vel

vel quindecim dies, imo & per menſem integrum, pro medici conſilio.

Dum haec uſurpantur apozemata vel juſcula aperientia, mos eſt apud prudentes practicos contentam in primis viis ſaburram expurgare convenienti cathartico; imo ſaepe ſaepius cathartica miſcenda ſunt aperientibus, ut qua proportione dividuntur craſſi & impacti humores, eorum particulae per ſeceſſum eliminentur. Huic intensioni, ut fiat ſatis, ſequens vel similis opiata parari ſolet.

℞ *Croci martis aperientis magali. rore parati & in alkool redacti* ʒß. *rhabarb. electi & ſenn. mundat. pulverator. a.* ʒ2. *jalapi pulverati* ʒ1ß. *ſcammonii ſine ſulphure parati* ʒ1. *myrrhae electae & gummi ammoniaci, exſiccator. & pulverator. a.* ʒß. *florum ſalis ammoniaci martialium* ℈1. *boracis vulgar.* gr. 10. *cum ſ. q. ſyrup. de cichor. compoſiti, miſce, f. opiata, de qua capiat aeger a.* ʒ1. *ad* ʒ2. *mane, jejuno ventriculo, deambulando per horam, ut mos eſt, ſuper bibendo juſculum cichoreo*

cichoreo alteratum, & continuando per 10 dies, quibus elapſis praeſcribi ſolet potio purgans conveniens.

Quoties vero laeduntur aegrotantes a diuturniori catharticorum uſu, vel quia difficulter expurgantur humores, vel quia deficit in ſanguine ſerum, tunc conveniunt balnea aquae dulcis calidae, ut totum corpus humectetur, ut ſerum ſanguini ſuggeratur. Ut autem impactos humores dividere & attenuare poſſis, interdum tibi ſufficiet borax a granis quatuor, ad octo decemve, vel praeſcribatur pulvis compoſitus ex partibus aequalibus rhabarbari, & florum ſalis ammoniaci martialium. Hujus pulveris doſis eſt a ℈1. ad ʒ1. interdum quoque convenit ſimplex infuſio croci martis aperientis, in ſ. q. vini rubri optimi. Quae quidem infuſio ab unciis duabus ad quatuor praeſcribi ſolet. Continuari vero debet horum medicaminum uſus per viginti dies, aut etiam per menſem integrum & ultra. Contumaces enim ſcirrhi obſtructiones non niſi longo ac diuturno aperientium uſu, diſcuti poſſunt. Quae quidem medicamenta non niſi vere & autumno uſurpanda ſunt, quod

humores

humores nimium per ſe ſicut aeſtivo tempore ferveſcentes, hyberno vero tempore nimium impacti, quam ut poſſint tranſpirare.

Dum prudens medicus ita aegri rebus proſpiciet, erit periti chirurgi officium ita tumoris ſtatum perpendere, ut incipientis reſolutionem vel ſuppurationem caute promoveat. Anceps incipientis ſcirrhi curatio eſt, metuendumque ſemper, ne fortioribus topicis reſolventibus indureſcat, aut fiat ex ſuppurationibus cancrodes. Itaque ſi primarius fuerit, & ex ſolo partis vitio, ſi cacochymia non foveatur, tunc unice tentari poterit illius reſolutio, idque topicis variis, leviter emollientibus, attenuantibus, incidentibus. Feliciter uſurpatur, praeſertim ad reſolvendas mammas ſcirrhoſas calida noſtri maris arena. Haec poſtquam fuerit radiis ſolaribus expoſita & penitus calore ſolis exſiccata, ſi affectae parti calidae applicetur, impactum humorem leniter exagitat, dividit, attenuat, ac uberiori per cutis poros perſpiratione diſcutit. Tanta autem eſt hujuſmodi perſpiratio, ut quae ſicciſſima percipiebatur arena, mox ipſa tranſpiratione madeſcat. Madeſcentem ergo mutabis arenam, novamque calide impones quantum-

pote

pote ſicciſſimam, idque pro neceſſitate, medicique conſilio iterandum. Eſt autem arena maris aliis anteponenda, quod ea multo calidior ſit ac ſalſior. Haec calore ſuo impactos humores exagitat, ſalſedine vero dividit & expurgat per tranſpirationem.

Poſtquam varia reſolventia incaſſum tentaveris, tophaceus ſcirrhus, ſi nulli offecerit actioni, naturae committatur; maxime vero lupiae & gangliones. Qui ſi actiones laeſerint, reſcindendi & extirpandi ſunt. Sique tumor baſim habuerit minus latam, eam vinculo religa, fiatque ſenſim ligatura in dies ſtrictior, donec penitus denegato humorum affluxu totus decidat tumor. Sic interdum ligata lupia ſponte decidit. Sin tumor baſi fuerit ampliori, quam ut ligaturam admittat, tunc ſcalpello reſcindendus, totuſque amputandus. Lente ſuppuratus ſcirrhus, ut atheroma, ſteatoma & meliceris, ſibi ipſi relinquatur, uſque dum abſoluta ſuppuratione conſumatur cyſtis. Deinde vero aperiatur abſceſſus vel ferro vel cauterio potentiali, ut totus educi poſſit humor glutinoſus. Cyſtis eſt ſuppurati ſcirrhi reliquiae non ſuppuratae, ut ſupra demonſtratum eſt. Hujus ergo niſi ablata tota fuerit materies, ea vel

accerſet

accerſet fiſtulam, vel dirum ulcus, quorum difficilis & tarda eſt curatio. Idemque intelligendum de ſcirrho non ſuppurato, cujus vel minima particula ab amputatione reſidua, novi ſcirrhi germen erit.

Abſumpta penitus ope medici cacochymia ſcirrhum fovente, ſcirrhoque ipſo perita chirurgi manu radicitus extirpato, ſimplex balſamum arcaei vulnus ad perfectam cicatricem perducet. Factum eſt hujus balſami experimentum in muliere quadragenaria. Huic exciſus eſt inſignis in mamma ſcirrhus, ingenſque vulnus inflictum ſolo & ſimplici balſamo arcaei per 20 dies adhibito feliciter non ita pridem curatum eſt.

F I N I S.